226.4

HORÆ
Hebraicæ & Talmudicæ,

Impensæ in

EVANGELIUM
S. Lucæ.

Præmittuntur CHOROGRAPHICA pauca, de locis apud hunc Evangelistam nominatis.

LONDINI,

Sumptibus *E. S.* & Venales prostant ad Officinam *Roberti Boulter* in *Cornhill*, ad Insigne Capitis Turcici Emporio Regali oppositum. 1674.

C25
CANCELLED

Collegii Sti. Augustini
apud Cantuarienses
Liber.

REVERENDISSIMO
In Christo Patri ac Domino,
D^no GILBERTO,
Providentiâ Divinâ Archiepiscopo
CANTUARIENSI,
Totius Angliæ Primati, &c.

REVERENDISSIME ANTISTES.

FINITO jam tandem opusculo hoc meo quali quali, in quatuor Evangelia, recognoscere & commemorare me jubent pietas, gratitudo, & officium, infinitam erga me Dei misericordiam, quæ me huc perduxit, vitam continuavit, & vivacitatem corporis, animi, atque oculorum conservavit ad hanc, & in hac sene. ctute: Quibus & grande hoc beneficium addidit eadem misericordia divina, quod commiserationem, favorem & patrocinium paternitatis vestræ mihi indulserit. Edulcoravit hoc, non parum cætera, atque otium hoc literarium, studiorum tranquillitatem, & rei familiaris stabilimentum, suavissimum vitæ meæ condimentum, miscuit & propinavit. Absque hoc caruisset animus studendi, studendi oportunitate, defuissent Musis meis otium, & secessus, & sedes quieta, atque exaruerant in prima sui protrusione [si modo aliquid

22 B 58 Th

jam ſunt] *lucubrationum mearum hæc germina, niſi rore favoris tui ea rigaſſet cœleſtis favor.*

Oblitus forſan es Pater Reverendiſsme, [*nam beneficia tua marmore non ſcribis*] *qualia pro me in anguſtiis meis præſtiteris, humanitate & benevolentia & ſedulitate mihi benefaciendi, planè admirandis; Quæ nunquam mihi excidere aut dilabi poſſunt, niſi & mei ipſius obliviſcar, & memor non ſim ipſe mei. Tantæ humanitati explicandæ, cum nulla elocutio ſit adæquata, liceat rem totam hoc compendio compingere, Perituram familiam; ſervavit miſericordia Dei, per commiſerationem tuam.*

Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis ſuis, & quid tibi pro tanto? At mene rependere aut retribuere vel Deo vel tibi? Reddat ipſe tibi miſericordiarum pater, cum ego non poſsim, & ex addita ſua miſerecordia donet, ut ei poſsim. O ſi donet ille, ut ei reddam meipſum, & donet ille tibi, & largiatur ſemper ſeipſum. Ille Paternitatem veſtram quam diutiſsime conſervet, protegat, dirigat, & in æternum beet. Quod ex animo, aſsiduéque vovet, & precatur

Reverendiſſime Præſul

Clementiæ veſtræ cliens

humillimus, devotiſſimuſque

J. LIGHTFOOTE.

Chorographica Pauca.

CAP. I.

De locis Luc. III. *memoratis.*

I. *Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.* II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa.* III *Quædam de Transjordanina generaliùs.* IV. *Trachonitis.* V. *Auranitis.* VI. *Ituræa.* VII. *Abilene.* VIII. II *Samuel* xx. 18. *notatur.*

Sect. I. *Hiſtorica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum.*

ANTEQUAM ad particularem regionum iſtarum inveſtigationem accedamus quarum mentio *Luc.* III. 1. non incongruum erit, pauca prælibare hiſtoricè & generaliùs. *Joſeph. Antiq.* lib. 15. cap. 13. *Cæſar Auguſtus filios Herodis, Alexandrum & Ariſtobulum, Romam adventantes accepit omni cum humanitate,* καὶ δίδωσιν Ἡρῴδῃ τὴν βασιλείαν ὅτῳ βέλοιτο βεβαίαν ἐξ αὐτοῦ γεγονότων. *Et concedit Herodi, cui vellet filiorum ſuorum, regnum firmare.* Καὶ χώραν ἔτι τήν τε Τραχῶνα, καὶ Βατανέαν καὶ Ἀβιληνῆτιν. *Deditque ei inſuper regionem Trachonitin, & Batanæam, & Abranitin.* Omittitur mentio *Peræa* [peculiariùs ſic dictæ] cum tamen ea foret ſub jure *Herodis*, unde alias ab eo conditum *Herodium*, ubi & ipſe eſt ſepultus, etiam in extremis *Peræa* limitibus verſus Auſtrum?

De *Peræa* etiam ſilet *Lucas* cum loquitur de Tetrarchia *Herodis Antipæ* cum tamen dicat Joſephus *De bell.* lib. 2. cap. 9.

Ἐφύετο ὑπὸ τούτῳ [Ἀντίπα] ἥτε Περαία καὶ Γαυλανῖτις *sub Antipa erat Perea & Galilea.*

Cur de *Perea* fileat *Josephus* cum loquitur de regno patris, & *Lucas*, cum de Tetrarchis filii, cum planum sit eam fuisse sub Dominio, & patris & filii, res est obscura, & non sine animadversione prætereunda.

Hæc etiam idem Josephus de Tetrarchia *Philippi.*

De excid. lib. 2. cap. 9. Βαταναία τε καὶ Τραχὼν, Αὐρανῖτίς τε καὶ μέρη τινὰ τοῦ Ζηνωνος οἴκου τοῦ περὶ Ἰαμνίαν, περισσὸν ἔχοντα ταλάντων ἑκατὸν ὑπὸ Φιλίππῳ τέτακτο. *Batanæa & Trachonitis & Auranitis, & partes quædam domus Zenonis, circa Jamniam, reddentes reditum centum talentorum, erant sub Philippo.* Et

Antiq. lib. 18. cap. 6. Τότε δὴ καὶ Φίλιππος τελευτᾷ τὸν βίον, Εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς. *Tunc moritur Philippus vicesimo anno imperantis Tiberii: cum ipse annis triginta septem præfuisset.* Τῆς Τραχωνίτιδος, καὶ Γαυλανίτιδος καὶ τῆς Βαταναίων ἔθνος περὶ αὐτῆς. *Trachonitidi, Gaulanitidi atque insuper genti Batanæorum.* Omittitur hic ab eo, ut vides, *Auranitis*, & inseritur *Gaulanitis*, ut & apud *Lucam* mentio nulla vel *Batanæa*, vel *Gaulanitidis*, vel *Auranitidis*, sed earum vice *Ituræa.* Est in his *Josephi* verbis, nodus Chronologicus, non facilis solutionis, sed talia non sunt hujus operis.

An Ζήνωνος οἶκος *Domus Zenonis*, relationem aliquam habeat ad *Zenodorum* latronem, non facilè dictu: De eo loquitur *Josephus*, loco ante citato, & dicit quod *Augustus* eò potius *Batanæam, Trachonitin, & Auranitin* regno *Herodis* magni adjecit, ut supprimeret ille furta & latrocinia *Zenodori* cujusdam & *Trachonitarum.* Cujus *Zenodori* mentionem etiam habet *Strabo* lib. 16. Sic inquiens. *Nunc minus fiunt latrocinia* καταλυθέντων νυνὶ τῶν περὶ Ζηνόδωρον τῶν λῃστῶν *sublatis latronibus Zenodorianis.*

At si vernaculâ linguâ nomen sic scribatur בית צינון *Beth Zenun*, significare potest, locum aut *regionem frigoris*: & denotare regionem aliquam contiguam nivibus *Libani*: vel partem aliquam טור תלגא *Montis nivis*: quod ego magis credo.

Sect.

Sect. II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa.*

QUAMVIS tota Transjordanina meritò dici potuerit Περαία, ob hoc ipsum, quod fuerit trans fluvium, distinguitur tamen vulgo de regionibus, atque illa vocatur speciatim *Peræa*, quæ erat olim regnum *Sichonis*, postea habitatio *Reubenitarum*, & aliquorum *Gaditarum*.

Unde illud *Ptolemæi*, Quod Ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ ποτ' Ἰορδάνου, memorentur ab eo tantum hæ civitates.

Κόσμος *Cosmus*.
Λιβίας *Livias*.
Καλλιῤῥοῆ *Callirrhoe*, olim *Lasba*.
Γάζωρος *Gazorus*.
Ἐπίκαιρος *Epicærus*.

Loca alia quæ erant trans *Jordanem*, nominat sub aliis distributionibus, ut quædam sub *Cœlosyria*, quædam sub *Batanæa*.

Res de qua jam quærimus, est an *Transjordanina* unquam usquam vocata fuerit *Galilæa*: Quæstione hinc suscitata, quod Evangelista noster totam Tetrarchiam *Herodis*, censeat sub nomine *Galilææ*, cum magna pars ejus foret *Peræa*.

In affirmativum nos propendimus hisce rationibus: & primùm quod pars superior Transjordanicæ appelletur *Galilæa*, supponimus

I. Ex Matth. 4. 15. ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. *Viâ maris trans Jordanem, Galilæa Gentium.* Nonne loca ista trans mare *Gennesariticum*, vocantur hic *Galilæa Gentium*, distinctive à *Galilæa* propriè sic dicta, cis *Jordanem*?

II. *Judas*, dux seditionum contra censum Romanum, *Gamalieli*, est Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος *Judas Galilæus*; Act. 5. 37. qui tamen *Josepho* est Γαυλονίτης ἀνὴρ ἐκ πόλεως ὄνομα Γαμάλα, *Homo Gaulonita, ex civitate Gamala.* Antiq. lib. 18. cap. 1. Cùm sat notum sit *Gaulonam & Gamalem* fuisse trans *Jordanem*.

II. Supponimus etiam *Peræam* specialiùs sic dictam, nuncupatam etiam fuisse *Galilaam* hisce argumentis.

I. Sub Dominio *Herodis magni* erat tota *Canaanitis*, & citra *Jordanem*, & ultra. Jam quadripartitâ tota ista regione in quatuor

Tetrarchias, ut Prima ſit *Judæa*, ſecunda *Samaria* quæ utraque jam erat ſub regimine *Pilati*. Tertia *Ituræa & Trachonitis*, ſub *Philippo*, Quarta erit *Galilæa* cis *Jordanem*, & *Peræa* trans. Cum ergo *Lucas* duas has ultimas Tetrarchias dividens *Galilæam* tantum nominet pro Herodiana, planum eſt quod *Peræam* etiam concludat ſub nomine *Galilææ*, & loquatur ut in re nota & recepta.

II. In *Luc.* 17. 11. dicitur quod *Jeſus Hieroſolymam tendens tranſiit per medium Samariæ, & Galilææ.* Aptius dictum videretur, *Per medium Galilææ & Samariæ.* Nam cum ab *Hieroſolymis* ad ſua rediret, trar fiit primò per *Samariam* & ſic in *Galilæam*: Cum vero à ſuis *Hieroſolymam* tenderet tranſiit primo per *Galilæam*, & tum per *Samariam.* Jam vero in iſto itinere certum eſt, tranſiiſſe eum in *Peræam*, tranſita prius *Samaritide.* Unde probabile admodum fit, *Peræam* ibi dici ab Evangeliſta *Galilæam*, eo modo quo eam etiam concluſerat ſub nomine *Galilææ*, cap. 3. 1.

III. In cœna iſta funeſta, in qua ferculum ultimum, erat caput de collati Baptiſtæ, illi qui convivati ſunt cum *Herode* dicuntur fuiſſe *Magnates Galilææ*, *Marc.* 6. 21. Cum autem cœna iſta fuerit in *Herodio* in extremis *Peræa* limitibus verſus Auſtrum, nonne Magnates illi *Galilææ*, erant Magnates *Peræa*?

IV. Mentio eſt de גלילות הירדן *Geliloth Jordanis*, *Joſu.* 22. 11. cum ſermo eſt de *Perea*: unde regio iſta etiam bene dici potuit *Galilæa.*

Sect. III. *Quædam de Transjordanina generaliùs.*

DE Tetrarchiis *Herodis & Philippi*, hoc, ut opinor, determinare licet abſque præjudicio, quod nihil ſub eorum regimine erat, quod non erat intra limites terræ Iſraeliticæ propriè ſic dictæ. [Quæ objici poſſunt de *Ituræa* trutinabimus ſuo loco] Regiones ergo earum ſpeculantibus, res maximè erit in Transjordanina, nam cis *Jordanem* erat tantum *Galilæa*, de qua non opus eſt ſcrutamine, quia de ea nulla difficultas.

Transjordaninam à remotiſſima vetuſtate, niſi fallar, diviſam habes, in hiſtoria iſta, Gen. 14. 5. *Chedorlaomer & qui cum eo reges, percuſſerunt Rephaim in Aſhteroth karnaim, Zuzim in Ham, Emim in Shaveh kiriathaim, Horim in monte Stir.*

Hæc

Hæc duo hinc concipias. 1. Quod *Baſanitis* habitata eſt à *Rephaim*, *Peræa* [altera pars Transjord.] à *Zuzim Moabitis*, ab *Emim*. 2. Quod *Aſhteroth harnaim*, *Ham*, *Shaveh kiriathaim* non erant ſingulæ, totius regionis nomen, ſed locorum tantum peculiarium in regionibus: forſan ubi pugnatum eſt, & debellatus populus regionis.

De *Aſhteroth karnaim*, quod foret intra *Baſanitidem* parum ſcrupuli, quum latior regio vocetur *Aſhteroth* & *karnaim* additur tantum ad diſtinguendum & limitandum, [vid. Deut. 1. 4. *Og rex Baſan habitavit in Aſhteroth, in Edrei.*]

De loco ipſo ſic magiſtri in *Succah* fol. 2. 1. עד כ אמה יושב אדם בצל סוכה *Ad viginti cubitos homo ſedet in umbra tabernaculi ſui* [viz. in feſto ſcenopegiæ] *ultra viginti cubitos non ſedet in umbra tabernaculi, ſed in umbra laterum ejus.* [id eſt, ſi tectum vel operimentum tabernaculi ſit ultra viginti cubitos altum] *Abai dixit ei, jam ergo ſi quis faciat tabernaculum in Aſhteroth karnaim, nonne ita etiam eſt tabernaculum?* Ubi Gloſſ. *Aſhteroth karnaim erant duo montes magni, valle interjacente, & propter altitudinem montium, ſol nunquam oriebatur valli.*

Quare Samarita pro *Aſhteroth karnaim*, habeat עפיניה קרניה *Aphinith karnaith*, cum ipſam vocem *Aſhteroth* alibi retineat, non facilè ſolvitur, niſi relationem aliquam habeat ad עפין *Rames*, ob locum ramis atque umbris denſum: ſed ea eſt in lingua Samaritana gutturalium confuſio, ut vix quicquam certi hic ſtatueris.

Quod *Zuzim* habitarent *Peræam* ut diſtinctam à *Baſanitide*, ex ipſo aciei victricis progreſſu liquet, nam cum planum ſit quod *Rephaim* habitarunt in *Baſanite*, atque *Emim* in *Moabite* Deut. 2. 10, 11. planum etiam ſatis eſt, quod *Zuzim* quos exercitus devicit poſt *Rephaim*, atque ante *Emim*, in regione intermedia inter eos habitarunt, quæ erat *Peræa*.

Atque hinc corrigendi ſunt illi, qui hic lectionem corrigendam volunt, & legendum pro הזוזים בהם *Zuzim in Ham.* זוזים בהם *Zuzim cum iis* ut gr. & vulgo, &c. ac ſi *Zuzim* fuiſſent inter *Rephaim*, cum diſtincti fuerint & natione & habitatione: Samarita certè בהם ſumit pro loco cum reddit בלישה *In Liſhah.*

Cum

Cum terram ingrederentur Iſraelitæ ex *Ægypto* exeuntes, diviſa fuit tota Transjordanica in hanc dichotomiam, *Regnum Sichonis*, & *Regnum Og*. *Sichonis* erat *Peræa* ſtricte ſic jam dicta, *Og* erat totum reliquum ſub nomine *Baſan*. At poſt reditum Iſraelitarum è Babylone, ita ſubdiviſa eſt *Baſan*, ut *Batanæa* vel *Baſã* fuerit pars ejus tantum, & reliqua exceperint *Trachonitis* & *Auranitis*, imò ſi vis & *Gaulonitis*, nam diſtictionem talem habes apud *Joſeph*: lib. de excid. 3. cap. 4. Has igitur omnes propriis finibus & limitibus circumſcribere, quæro an humanum jam non excedat ingenium, certus ſum quod meum.

Illud ergo quod in hac re acturi ſumus, hoc tantum eſt, ut pauca de locis ita ſeparatis, quantum conjectura aſſequi licet candido lectoris judicio, candidè ſummittamus. Atque ordiamur primo à *Trachonite*.

Sect. IV. *Trachonitis*.

ARGOB, *Deut*. 3.14. Targumiſtis eſt טרכונא & טרנונא *Trachona*, & ſic *Jonath*. 1 Reg. 4. 13. Samaritano eſt רינובארה *Rigobaah*, cui germana videtur רנב *Regab*, apud Talmudicos.

Menachoth, fol. 85. 2. *Tekoab primas obtinet propter oleum. Abba Saul dicit* שניה לה רגב בעבר הירדן *Secunda poſt eam, eſt Ragab trans Jordanem.*

Nomen deductum vult *Gul. Tyrius à draconibus*: nam ſic ille

De bell. ſacr. lib. 16. cap. 9. *Videtur autem nobis* [Trachonitis] *à draconibus dicta. Dracones enim dicuntur occulti & ſubterranei meatus, quibus iſta regio abundat. Nam penè univerſus illius regionis populus, in ſpelæncis & cavernis habitat, & in draconibus habet domicilia.*

Alia dici poſſent de notatione vocis: ſed ſitum regionis quærimus, non Etymologiam nominis. Et primum quod de ſitu quærendum, eſt an regio longitudine extenſa fuerit ab Auſtro ad Septentrionem, an ab Occidente in Orientem. Ratio diſquiſitionis eſt partim propter *Auranitim* de qua dicturi ſumus in ſequentibus, & partim propter verba iſta *Joſephi*.

Antiq. lib. 17. cap. 2. Ὡρίζετο ὑ αὐτὴ [Βαταναία] τῇ Τραχω-

νίτιδι

νῖτιδι Terminabatur Batanæa Trachonitide. Quomodo autem illud? An quod *Batanæa* interjaceret inter *Peræam* & *Trachonitin*, ab Occidente extensa in Orientem? An quod *Batanæa* interjaceret inter *Trachonitin*, & *Galilæam* propriè sic dictam, extensa longitudine ab Austro in Aquilonem? Posterius supponimus, & *Trachonitin* disponimus in ultimis Transjordanæ regionibus versus Orientem. Utrumque, his rationibus conjunctis.

I. Quòd Gemaristæ Peripheriam terræ discribentes, ab Aquilone, nominent תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין וטרכונא דמתחם לבוצרה *Tarnegolam* [vel *Gabaram*] *superiorem quæ est supra Cæsariam* [Philippi] *& Trachonam quæ extenditur ad Bosram.* Hieros. Sheviith fol. 36. 3. ubi extensio *Trachonæ* non est ad *Bosram* aliquam in limite isto Aquilonari, sed ad *Bosram* vel *Bosorram* quandam in limitibus *Pereæ*: [de qua *Joseph Antiq.* lib. 12. cap. 12.] & sic procursum regionis innuit, à Septentrione in Austrum.

II. *Ptol.* cap. 15. prope finem. Βαταναίας χώρας, ἧς ἀπ' ἀνατολῶν ἡ Σακκαία, καὶ ταυτῆς ὑπὸ τὸ Ἀλσάδαμον ὄρος οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες. *Batanæa provinciæ, à cujus orientali parte est Saccæa, & hujus sub Alsadamum montem, sunt Trachonitæ Arabes.* En *Trachonitas* ab Orientali parte *Batanæa.*

III. *Joseph.* de excid. lib. 3. c. 4. ἥτε Γαμαλιτικὴ, καὶ Γαυλανῖτις, Βαταναία τε καὶ Τραχωνῖτις. At nonne & ipsa *Gamalitica* & *Gaulanitis* erant intra *Batanæam*? verissime. At per hanc distinctionem partitur & distinguit inter *Batanæam* qua erat *Galilæa* vicinior & qua remotior. Regionem ejus, isti viciniorem ab urbibus celebribus *Gamala* & *Golan*, denominat *Gamaliticam* & *Gaulonitin*, at remotiorem, nomine suo proprio *Batanæam*, & post eam ulterius *Trachonitin.*

Erat cum tota ista regio, quæ modo in has distinguebatur, uno & generali nomine *Basan* audiret: quæ vox ut in *Bathan* vel *Batanæam*, transierit, ut & Targumistis & Samaritæ in *Bathnin* & *Mathnin*, linguæ Syræ aliqualiter peritus facilè agnoscet.

Sect.

Sect. V. *Auranitis.*

AURANITIN denominationem ſuam ab *Hauran* deduxiſſe, vix quiſpiam dubitaverit, præſertim ſi obſervet אשר אל חורנ בול *Ezek.* 47.6. reddi à Græc. Αι εἰσὶν ἐπάνω τῆς ὀρέων Αυρανίτιδος.

Nominatur חוורן *Hauran* inter montes illos, è quorum vertice, per flammas elevatas, factum eſt indicium novi anni.

Roſh haſhanah, cap. 2. hal. 2. *Undenam extulerunt flammas?*

מהר המשחה לסרטבא *A monte Oliveto ad Sartabam.* ומסרטבא לגרופינא *Atque à Sartaba ad Gryphenam* ומגרופינא לחוורן *Atque à Gryphena ad Hauran* ומחוורן לביח בלתין *Atque ab Hauran ad Beth Baltin: Atque à Beth Baltin non receſſit ille qui flammas extulit, ſed huc illuc, ſurſum deorſum agitavit, donec videret totam captivitatem flammis coruſcantem.*

Quærit Gemara, *Quidnam eſt Beth Baltin, Rabh dicit eſt Biram. Quidnam eſt captivitas? Rabh Joſeph dicit, eſt Pumbeditha.* Ubi Gloſſ. *Senſus hic eſt, Quod Biram erat de terra Iſraelitica.* Itane? Beth Baltin idem cum Biram, & Biram intra terram Iſraelis? Cum tamen in Gemara Hieroſ. *Rabh Honna dicit cum huc venimus, aſcendimus in verticem* Beth Baltin *& vidimus palmas in Babylonia.* Res ſi vera, perpendenda Geographis, *Proſpici poſſe Babyloniam è terra Iſraelitica.* Eorum autem ſenſu veriſſima, Qui per *Babyloniam* intelligunt vulgò omnes iſtas regiones, in quas deportata eſt captivitas Babylonica, non *Chaldæum* ſolùm ſed & *Meſopotamiam* & *Aſſyriam.* Limitantes ergo terram Iſraeliticam fluvio *Euphrate*, quod & facit ſcriptura, contiguam eam faciunt *Meſopotamiæ*, interlabente tantum iſto fluvio: & Beth Baltin ſtatuunt non longe à citeriori ripa iſtius fluvii.

Fatentur Gemariſtæ elevatas fuiſſe flammas in montibus aliquibus inter hos quos nominant, intervenientibus, at nominantur hi tantum ut celebriores. Jam vero *Hauran* quem nominant, probabile eſt fuiſſe montem unde denominata illa de qua agimus *Auranitis*: & ſuſpicari licet fuiſſe aliquam partem *Antilibani*

Hauran

Hauran dictam, vel à voce Syra חוור *Hauar*, quæ *Album* denotat, vel ab Hebr. חור *Hor* quæ Speluncam: & convenire poteſt monti utraque ſignificatio, nivibus *Albo*, & ſubterraneis meatibus *Cavo*.

Utcunque: patet ex loco *Ezechielis* allegato, *Hauran* fuiſſe in extremis terræ oris verſus Septentrionem, atque inde dicta, atque ibi ſita *Auranitis*: quamvis eam neſcio qua authoritate diſponat *Gul. Tyrius* ſecus mare *Geneſariticum*, lib. 22. 26. *ſubito enim tranſcurſa Auranitide regione, quæ ſecus mare Tyberiadis eſt*, &c.

Fluvium *Orontem* [natum inter *Libanum* & *Antilibanum* juxta *Heliopolin* ut *Plin.* lib. 5. cap. 22.] nomen ſuum ab *Hauran* deduxiſſe, vox ipſa videtur fari. Quamvis nonnulli ab *Euſtath. in Dionyſ.* Περιηγ. citati nomen latinum eſſe cenſeant. Ἄλλοι δ φάσιν [inquit ille] ὅτι, Καίσαρ Τιβέριος ἐκ Δράκοντος αὐτὸν Ὀρόντιον μεταονόμασεν, ὁ σημαίνει Ἀνατολικόν. Ac *ſi Orontes* idem eſſet quod *Orientalis*. At quid illud Ἐκ Δράκοντος ſibi velit, obſcurius. *Orontes* olim *Typhon* dicebatur Strabo, lib. 16.

Sect. VI. *Ituræa.*

PARCAS ulteriori ſcrutamini licet in inveſtigando ubinam *Ituræa*, ſi Barradium audies, qui fidenter ſatis, at fide tantum ſua, quantum novi, aſſerit quod *Regio erat in ſorte tribus Nephthalim, ad Libani montis radices.* Niſi forte *Borchardum* ſecutus, qui ſic fide etiam *Jacobi de vitriaco. Scias regionem Decapolin quam variè in ſcripturis denominari. Dicitur enim aliquando Ithuræa, aliquando Trachonitis, nunc Planities Libani, nunc terra Moab, nunc Gabul, nunc Galilæa gentium, nunc Galilæa ſuperior. Eſt tamen ſemper eadem regio.* Confuſe ſatis.

Ituræorum gentem aliquam collocat Plinius in *Cyrriſtica* Syriæ.

Lib. 5. 23. *Et inde Cyrriſtica, Iturcatis, Gindarenos, Gabenos, Tetrarchias duas, quæ Granii Comatitæ vocantur, Emiſenos, Hylatas Ituræorum gentem, & qui ex iis Batarreni vocantur, Mariamitanos*, &c.

Strabo lib. 16 *Poſt Macram eſt Marſyas, habens montana quædam, in quibus eſt chalcis tanquam Marſyæ arx. Ejus initi-*

um eſt Laodicea, quæ eſt ad Libanum. Τὰ μὲν ὄρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτυραῖοί τε καὶ Ἄραβες κακοῦργοι πάντες. *Montanam totam regionem Ituræi & Arabes habent, malefici omnes.*

Eupolemus apud *Euſeb.* Præpar. Evang. lib. 9. cap. 30. Στρατεύσαι δ' αὐτὸν [Δαεὶδ] καὶ ὅπλα Ἰδουμαίοις, καὶ Ἀμμανίταις καὶ Μωαβίταις, καὶ Ἰτυραίοις, καὶ Ναβαταίοις, καὶ Ναβδαίοις. *David pugnavit cum Edomitis, & Ammonitis, & Moabitis, & Ituræis, & Nabathæis, & Nabdæis.* Dixerat ante quod *ille debellaverat Syros habitantes ad Euphraten, & Commagenem,* καὶ τοὺς ἐν Γαλαδηνῇ Ἀσσυρίους καὶ Φοινίκας, *Aſſyrioſque & Phœnicas qui erant in Galadene.*

Gul. Tyrius de bell. ſacro, lib. 9 cap. 15. *Secus mare Galilæa, viam carpentes, Phœnicem Lybanicam ingreſſi, Paneadem quæ eſt Cæſarea Philippi à dextris prætereuntes, Ituræam ingredientes,* &c.

Et lib. 21. cap 11. *D. Rex pertranſiens agrum Sydonenſem, & montana quædam quæ ſunt media inter noſtros & hoſtium terminos conſcendens, perrexit ad locum bonis temporalibus commodum fere omnibus, gleba uberem, fontibus irriguum, cui nomen Meſſahara. Inde in vallem quæ dicitur Bacar deſcendens, terram reperit, ut legitur, lacte & melle manantem. Hanc regionem exiſtimant quidam dictam fuiſſe olim Ituræam--- Antiquitùs autem viz. tempore Regum Iſrael, erat ſaltus Libani nuncupata.*

Ubinam tandem jam *Ituræa*? Num *Philippus* partem aliquam Tetrarchiæ ſuæ habuit in *Cyrriſtica* aut *Chalcidice* Syriæ? Et tamen ibi erant, ſi Plinio & Straboni credes, *Ituræi.* Suſpicor aliquid latere in Etymologia vocabuli, de qua quidem æque hæſites ac de ſitu regionis.

Si *Bacar* ut deſcribitur à Tyrio fuerit *Ituræa*, ab עיתור *Hittur* bene deduci poſſet, quæ ſignificat *opulentiam*, vel ab עיטור quæ ſignificat *Coronationem*; idque potiſſimùm cum regio coronatur ubertate. Notio Talmudicis ſatis nota.

Vel ſi credere poſſem, *Ituræam* & *Decapolin* idem eſſe, ſupponerem vocabulum עשר *Decem*, admittere mutationem ש in ת more Syriaco: ſed nec illud credo, & hoc non comperi in iſta voce unquam fieri, quin potius in ס tranſire.

At nonne nomen deductum ab חיתורי *Hitturi ſuffoſsiones*, propter ſubterraneos meatus aut ſpeluncas? Ita ut *Ituræi* idem ſona-

ſonaret, quod *Troglodytæ, inhabitantes cavernas.* Atque ita diſtincti ſunt *Troglodytæ* qui erant ab Aquilonaribus terræ Iſraeliticæ finibus, à *Troglodytis* qui ab Auſtralibus, *Horæis* ſcilicet in *Idumæa.* Et regiones iſtas de quibus agimus, ſpeluncis celeberrimas fuiſſe, affatim teſtatum habes à *Strabone, Joſepho, Tyrio,* aliiſque: ſpeluncis frequentibus, atque aliquibus ſtupendis.

Strab. lib. 16. Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς [Δαμάσκου] δύο λεγόμενοι Τραχῶνες· *Sunt ultra Damaſcum duo montes qui appellantur Trachones. Poſtea, Arabiam & Ituræam verſus, ſunt montes aſperi, & aliis ſpeluncis inſignes quarum una quatuor millia hominum recipere poſſit.*

Stupendior *ſpelunca Zedechiæ*, ubicunque ea tandem, quæ erat ſpatii octodecim milliarium ſi vera ſint quæ de ea referuntur. *Bemidbar rab.* fol. 211.2.

Spelunca erat trans Jordanem 16. M. p, à *Tyberiade* quæ habuit inferius, medium, & ſupremum cænaculum, vel tres manſiones. *Gul. Tyr.* lib. 22. 15. quæ manſiones erant etiam munitiones, nam continuerunt turbam militarem.

Non ſine ratione igitur licet conjectare, *Ituræam* de qua nos agimus, ſic dictam fuiſſe ab חיתורי ſuffoſſionibus talibus, aut ſpeluncis: Et *Plinium*, & *Strabonem*, cum de *Gente Ituræorum, in Cyrriſtica & Chalcide* loquuntur, non regionem *Ituræam* ibi diſponere, ſed innuere fuiſſe ibi Troglodytas, qui habitarent in ſpeluncis.

Ituræa ergo Evangeliſtæ noſtri, erat in regione Transjordanina, *Batanæa* ſcilicet & *Auranitis*, vel *Auranitis ſola* ut patet ex *Joſepho*, cum hoc noſtro collato. Nam dicit *Lucas, Philippum* fuiſſe *Tetrarcham Ituræa, & Trachonitidis:* Joſephus autem, eum fuiſſe *Tetrarcham Trachonitidis, Batanæa & Auranitidis.* Aut ergo *Auranitis & Batanæa* Joſephi, ſunt *Ituræa* Lucæ: aut *Batanæa* Joſephi confunditur cum *Trachonite* Lucæ, & ſola Auranitis eſt *Ituræa.* Nam, obſervandum eſt illud

Joſeph antiq. lib. 20. cap. 5. Δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου Τετραρχίᾳ, καὶ Βατανέᾳ, προσθεὶς αὐτῷ Τραχωνῖτιν σὺν Ἀβέλλᾳ. *Donat* [Cæſar] *Agrippam Tetrarchiâ Philippi & Batanæâ, addens ei inſuper Trachonitin, cum Abella.* Ubi notandum, quod ſit mentio Tetrarchiæ *Philippi*, diſtinctæ à *Batanæa* & *Trachonite.* Quænam autem illa? *Auranitis* certe Joſepho, & forſan ea *Ituræa* Lucæ.

Sect. VII. *Abilene.*

JOSEPHUS in verbis jam citatis de *Abella* loquens, hæc addit Λυσανία ἡ αὕτη ἐγγύνει Τετραρχία. *Fuerat ea Tetrarchia Lysaniæ.*

Sic & *Ptol.* Ἄβιλα ὁπισθεῖσα Λυσανίᾳ *Abila cognomine Lysaniæ*, eamque numerat inter civitates *Celesyriæ, sub his gradibus.*

Heliopolis. 68. 40. 33. 40.

Abila. 68. 45. 33. 20.

De *Abila* in ista regione loquitur *Plinius*:

Nat. Hist. lib. 5. cap. 18. *Paneas in qua Cæsarea, cum supradicto fonte* [nempe cap. 15.] *Abila Arca Ampeloessa, Gabo.*

Non immerito distinguitur, per relationem ad *Lysaniam*, nam erant hinc illinc *Abilæ*, vel *Abellæ* aliæ. In talem enim pronuntiationem Græcam, transiit vox Hebræa אבל *Abel*, cujus nominis loca plura.

Abel Shittim, ubi castrametati sunt Israelitæ immediate ante transitum *Jordanis*, Josepho est Ἄβιλα *Abila*, *distans à Jordane 60 stadiis.* Antiq. lib. 5. cap. 1. quam etiam nominat cum *Juliade*, πρὸς τῷ Πηγείαν. *De excid.* lib. 2. 22. Est *Abel Meholah. Abel beth Maachah*, &c.

Prope ad sonum accedit אבלם קליקאי *Abelas Ciliciorum. Targ. Jonath.* in *Num.* 34. 8.

Ipsissima vox אבילין *Abilene* occurrit in

Vajicra rabba fol. 184. 1. והפול שבא תלחם *Irruerunt in eos Sabæi & rapuerunt eos*, Job 1. 15. *R. Abin bar Cahna dicit* יצאו מכפר קריינוס *Prodierunt ex Caphar karinus*, והלכו את כל האבילין *Et profecti sunt per totam Abilenen, & venerunt ad* מגדל צבעיא *Migdal Zabaaia atque ibi mortui sunt.*

Sect. VIII. 2 *Samuel* xx. 18. *Discutitur.*

INTER omnes, vel civitates, vel regiones, quæ insigniuntur nomine *Abel*, celebratissima est ista 2 *Sam.* 20. ob historiam

Shebæ

Shebæ ſtolidi, & fœminæ prudentis. Cujus fœminæ hæc verba non parum torſerunt interpretes, דבר ירברו בראשונה לאמור שאול ישאלו באבל וכן התמו

Græca verſio magis torquet Λόγον ἐλάλησαν ἐν πρώτοις λέγοντες, ἐρωτηθόν ἠρωτήθη ἐν τῇ Ἄβελ καὶ ἐν Δὰν εἰ ἐξελίπον ἃ ἔθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ Ἰσραήλ. Ἐρωτῶντες ἐπερωτήσουσιν ἐν Ἄβελ, καὶ ὅτως εἰ ἐξέλιπον. Latin. Interpr. *Verbum locuti ſunt in primis dicentes, Interrogando interrogatus eſt in Abel, & in Dan, ſi defecerunt, quæ poſuerunt fideles Iſrael. Interrogantes interrogabunt in Abel, & ita ſi defecerunt.*

Si quis ex his verbis ſenſum vel plauſibilem vel probabilem eruere poteſt, gratum fecerit ſi docuerit alios, præſertim verò cur addatur *Dan*. Connumerantur quidem *Dan* & *Abel beth Maachah*, ut non admodum diſtantes, 1 *Reg.* 15. 20. Et ſi earum vicinitatem ex verbis diſcas, quid aliud ex iis expiſcandum ſit, ego quidem non video.

Concordant tamen in hac lectione, editio *Romana* & *Alexandrina*, quæ palmam ferre exiſtimantur, inter omnes editiones verſionis Græcæ. Et dicant jam illi qui correcta volunt Biblia Hebræa per Græca, an hic volunt corrigenda. Patiantur interim, ut ego Hebræis, ut jam ſunt fruar.

Planiſſimum ſenſum reddunt Hebræa, ſi prima vocabula בראשונה רבר ירברו ritè applicentur, nempe ad *Sheba* & ſuos loquentes. *Cum Sheba & ſui huc appellerent, ſic certè primùm dixerunt, quod inquirerent ab Abel de pace ejus, velà cujus partibus ſtaret* וכן התמו *Et ſic rem integram fecerunt*, vel prætexuerunt in tegritatem. Nam illud quod *Joabo* præcipuè ſatisfactum eſſe oportuit, hoc erat, Civitatem illam non conjuratam fuiſſe cum perduellionibus: quod directè fit ſi hunc ſenſum admiſeris. Certum enim eum facit prudentiſſima fœmina, quod *Abeliani* nequaquam vel *Shebæanos* in urbem invitaverant, vel ut in rebellione cum iis conſentientes, in urbem admiſerint, ſed quod fuerint blandis & fallacibus miſerè decepti eorum verbis, qui placide prætexuerunt ſe de pace & ſtatu urbis quæſituros tantum: Atque ut dignoſcas hæc vera eſſe quæ dico, projicietur illico tibi caput *Shebæ* à muro.

CAP.

CAP. II.

SAREPTA.

I. *Zarephath Obad.* 20. ubi. II. *Sepharad, ubi.*

Sect. III. *Sarepta ſitus.*

SAREPTA in hiſtoria *Eliæ*, 1 *Reg.* 17. ſcribitur Hæbraicè צרפת iiſdemque literis, *Obad.* ver. 20. Unde quæri poteſt an ſit utrobique unus idemque locus. Et de identitate quiſnam dubitaret, niſi quod Judæi per צרפת vulgo intelligant *Franciam*, & per ספרד *Sepharad* quæ apud Prophetam occurrit eodem commate, *Hiſpaniam*. Verba Prophetæ variè redduntur, ſed in tota iſta varietate nihil obſtat, quo minus *Zarephath*, de *Zarephath Sidonia* poſſit intelligi. Nam ſive ſermo ſit de captivitate detenta in *Zarephath*, ſive de captivitate terram poſſeſſura ad *Zarephath* [nam iſta præſertim varietate verba explicantur] utrovis ſenſu bene poteſt *Sarepta Sidonia*, eſſe ſcena rei. Quoad prius enim, ſi conferatur illud de *Tyro* ſorore *Sidonis* Am. 1. 9. & conferatur potentia & dominium *Sidoniorum*, non improbabile erit, captivos Iſraelitas fuiſſe in *Sarepta Sidonia*. Et quoad poſterius, cum ſermo ſit in commate præcedente, de poſſeſſione montis *Eſaui*, agrorum *Ephraim*, *Samariæ*, & *Gilead*, & tum fiat mentio de poſſeſſione terræ *Canaanæorum*, uſq; ad *Zarephath*, quis *Zarephath* quæſiverit in *Francia*, & non in loco aliquo vicino, prout loca reliqua nominata erant vicina. Quibus addas, cum hic fiat mentio de poſſeſſione terræ *Canaanæorum uſque ad Zarephath*, docebunt interpretes Græci, quinam *Canaanæi*, cum diſtinguuntur à reliquis gentibus terræ *Canaanitica*, *Phœnices* nempe, Joſu. 5. 1. Et per *reges Hittæorum*, 1 Reg. 10. 29. & 2 Reg. 7. 6. intellexerim ego pariter, Βασιλεῖς τῆς Φοινίκης.

Sect.

Sect. II. *Sepharad ubi.*

ITALUS interpres pro *Sepharad*, retinet *Zarphath*. Sic enim ille. *Et i transferiti de questo esercito de figlioli de Israel, che sono de Chenahanei, in fino à Zarphath, & i transferiti di Jerusalem, che sono in Zarphath*, &c. An caute nimis, an nimis incaute, ipse videat.

Græca habent Ἐφραθᾶ quibuscum concordat interpres Arabs: at Syrus cum Targumista, *Hispania*. Vulg. *Bosphorus* confusè, & præpositione ב facta radicali. Et tamen hæc Nobilius. *Narrat S. Hier. cum vocabulo Hebraico Sepharad, quod ipse Bosphorum verterit, cæteros interpretes concordasse.* Si hoc velit, quod omnes concordarint in agnitione vocabuli *Sepharad*, nil novi refert: At quis concordavit cum vocabulo ejus *Bosphorus*?

Sepharad quidem non est locus adeo obvius ac *Zarephath*, nec de ea quid dici potest nisi per conjecturam: Et si conjecturæ sit locus nostræ, quæsiverim ego *Sepharad* in *Idumæa*, potiùs quam in *Hispania*: idque quia vaticinatur *Obadias* contra Idumæos propriè sic dictos: Cumque dicat Israelitas captivos in *Sarepta Phœniciæ* possessuros terram Canaanæorum: probabile est per captivos in *Sepharad*, intelligi ab eo, captivos in *Idumæa* possessuros civitates Austri; *Zarphathani* vel *Sareptani* erant ab Aquilone, *Sepharadani* sint à meridie: Inter Ἐρέμβες Homeri Odyss. δ. Οὓς εἰκὸς Λέξειν τὺς Τρωγλοδύτας Ἄραβας *Quos Troglodytas Arabas rectè dixeris* inquit Strabo, lib. 1.

Horæos scil. in monte *Seir*. Nam *Eremb* ab *Horim* fuisse deformatam ego suspicor.

Cum Judæi per *Edom*, vulgo intelligant *Regnum Romanum*, & quidem gentes Christianas in Occidente, facilè est perspicere, quare hæc loca *Zarephath* & *Sepharad*, tam remote disponant à Palæstina: Nam *Obadia* prophetante contra *Edomæos*, propriè sic dictos, mutant illi scenam & personas secundum vulgarem ipsorum constructionem vocis *Edom*.

Sect.

Sect. III. *Sareptæ ſitus.*

PLIN. lib. 5. cap. 19. *Inde* [à Tyro] *Ide, ac Sarepta, & Ornithon oppida. Et Sidon artifex vitri, Thebarumque Baotiarum parens.*

Borchard. *A Tyro ad tres leucas admodum breves Eleutherus fluvius mari recipitur. Ab Eleutherо intervallo duarum Leucarum eſt Sarepta. A Sarepta ad duas Lucas extat Sidon--- Sarepta hoc tempore vix 8 domibus conſtat: cujus tamen ruinæ & defectiones, glorioſam extitiſſe declarant.*

Zarephath dictum volunt quaſi *conflatorium*, ab coquendis, & conflandis metallis, præſertim vitro.

Strabo: lib. 16. *Inter Acon & Tyrum eſt littus arenæ tumulis obſitum.* Φέρων τὴν ὑαλίτιν ἄμμον, *quod fert arenam vitrariam. Eam dicunt hoc in loco non fundi, cum verò Sidonem perlata ſit, fuſioni parere*, &c.

CAP.

CAP. III.

NAIN *Luc.* VII. 2.

I. *De Naim juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.* II. *De Nain Joſephi & Rabbinorum.* III. *Verſio Græca* τῆς נעין *notata.*

Sect. I. *De* Naim *juxta Thabor, oſtenſa peregrinantibus.*

EXEMPLARI Alexandrino עין *Ijon* eſt Ναὶν, 1 *Reg.* xv. 20. Romano eſt Αἶν. Sic *Hazer Enan*, *Num.* xxxiv. 9. Romano eſt Ἀσσεναὶν Alexandrino Ἀσεεναὶν. Neutra convenit cum Ναὶν noſtra. Nam ſalvatorem in iſta hiſtoria, *Luc.* vii. fuiſſe in *Hazar Enan* vltimo terræ limite verſus *Syriam*, riſu dignum eſt vel concipere. Nec quidem in *Ijon*, cum ex ipſo ordine locorum quo diſponuntur in textu allegato, videatur *Ijon* fuiſſe vel ultra *Dan*, vel ſaltem in extremis terræ ex ea parte limitibus.

De Nain noſtra ſic Borchardus. *A Nazareth duabus leucis, à monte Tabor plus una leuca, contra Auſtrum eſt mons Hermon minor, in cujus latere Aquilonari, eſt urbs Nain, ante cujus ingreſſum Jeſus viduæ filium à morte revocavit, ut legimus, Luc.* 7. Sic etiam *Breidenbachius*. Sic & tabulæ nonnullæ quoad ſitum *Hermonis* juxta *Tabor*, & quoad ſitum urbis *Nain* juxta *Hermonem*.

Placet quidem quod *Naim* diſponant in *Iſſacharite*, ſi modo fallacia non ſit iis circa montem *Thabor*. Nam cum revera *Thabor* fuerit ultimus terminus *Iſſacharitidis* verſus Aquilonem, Joſu. xix. 22. *Joſeph. Antiq.* lib. 5. cap. 1. neceſſe eſt ut quicquid fuerit inde contra Auſtrum leuca una aut binis, reputetur intra iſtam tribum: Aſt vereor primùm, nè *Thabor* iis, & qui jam oſtenditur peregrinantibus, vix ſit verus *Thabor*: & parum dubito *Hermonem* iſtum de quo illi, ex errore creatum fuiſſe & malè concepto ſenſu *Pſal.* Lxxxi. 12. Quare dubitem de *Thabore*, ratio

tio est, quia *Thabor* iste qui ostenditur peregrinantibus, describente *Biddulpho* nostrate qui eum ascendit (& referente etiam mihi amico quodam meo qui etiam ascendit) parum convenit cum de scriptione *Josephi*, veri *Thaboris*: Nam sic nostras: *Acclivis aliquantum est mons, ac non altus admodum, nec spaciosus admodum, sed mons speciosus, rotundus*, &c. Ast *Josephus*, De excid. lib. 4. cap. 6. Ἰταβύριον ὄρος τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἀνίσχει, μόλις προσβάτον κατὰ τὸ προσάρκτιον κλίμα πεδίον δ' ἐστὶν ἡ κορυφὴ σταδίων ἓξ καὶ εἴκοσι. *Mons Thabor altitudine est triginta stadiorum, difficilis ascensûs à climate Aquilonari, summitas ejus est planities viginti sex stadiorum.*

Interpres *Persicus* pro Ναΐν habet נאבלם *Nabelis* i.e. *Neapolis* quæ & *Sychem*, qua ratione incertum: & vix creditum est quantum novi à quoquam antea quod defunctus iste viduæ filius quem salvator resuscitavit, fuerit *Samaritanus*. Erat quidem tantum non Samaritanus, iis quam proximus, at longissimè à *Sychar*.

Sect. II. *De Naim Josephi & Rabbinorum.*

DE נעים *Naim* quadam, loquuntur *Darshanim* in *Bereshith rabba* Sect. 98. *Issachar est asinus ossium* [Gen. xlix. 14.] *Loquitur de ejus terra: Nam sicut asinus est declivis hinc & declivis illinc & altus in medio. Sic in Issacharite, est convallis hinc & convallis illinc, & montanum isthinc. Cubans inter duos terminos. Hi sunt duæ convalles.* בקעת פסלן *Vallis Pislan, & vallis Jezreel. Et vidit requiem, quod bona* תנעם *Hæc est Tinaam. Et terram quod pulchra* זו נעים *Hæc est Naim.*

Vides hic obiter specimen aliquod allegoricarum & longe petitarum expositionum, quibus luxuriantur & gloriantur egregii hi commentatores. Sed ob hoc quidem gratias iis hic agimus, quod nos doceant, quod erat *Nain* quædam in *Issacharite*, ab amænitate situs sic dicta [ut & תנעם *Tinaam* eandem gestat cum ea Etymologiam] quam non sine ratione opineris esse hanc nostram, atque eandem esse *Nain* Josephi.

Antiq. lib. 20. cap. 5. *Usitatum erat Galilæis ad sanctam urbem ad festa tendentibus, itinerari per regionem Samaritanorum.* Καὶ τότε κάθοδον αὐτοῖς κώμης τῆς Ναΐς λεγομένης. *Et tunc via illis*

per

per villam dictam Nain. [Obscuriora quidem sunt Græca, sed quæ nos non morentur] *Quidam verò de Samaritanis, atque incolis magnæ planitiei, conserentes pugnam, multos ex iis interemerunt.*

Ipsissimam eandem historiam repetere eum credas, quamvis circumstantiis nonnullis diversam, in

De excid. lib. 2. cap. 21. *Rursum erat pugna inter Galilæos & Samaritas.* Κατὰ γὰρ τὴν Γεμὰν καλουμένην κώμην ἦτις ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κεῖται τῆς Σαμαρείτιδος. *Nam juxta villam vocatam Gema, quæ sita est in magna planitie Samaritidis, multis Judæis ad festum ascendentibus, occiditur Galilæus quidam.*

An una eademque sit historia, non solliciti quærimus, nec an *Gema* sit eadem villa cum *Nain*, sed hoc videtur quidem ex eo colligi posse, quod *Nain* erat in extremis limitibus *Issacharitidis*, contiguis *Samaritidi*, & *Gema* in extremis limitibus Samaritidis versus *Issacharitin*. Et cum descenderant *Galilæi* ab oppido *Nain* Issacharitico, in magnam planitiem Samariticam, illico in via habent *Gemam* atque ibi occurrunt hostes: si modo *Nain* & *Gema* non forent unum idemque oppidum.

Sect. III. *Engannim.*

FERT animus meus opinari, *Naim*, eandem fuisse cum *Engannim*, de qua mentio *Josu.* xix. 21. & cap. xxi. 29. Nam I. utraq; erat intra *Issacharitin Engannim*, teste scriptura, & *Naim*, testantibus magistris: quibus in re tali, non video, cur non credamus. II. Utraque vox amœnitatem eloquitur. *Naim* in ipso etymo. *Engannim*, fontem & hortos. III. *Engannim*, Jos. xxi. 29. in 1 *Paralip.* vi. 72. est ענם *Anem*, quas literas si invertas, quod fit in סרח & חרם fiet נעם *Naem.* iv. Addere liceret, quod *Engannim*, si fides ductoribus, qui loca ostendunt peregrinantibus, fuerit directè in via tendente à *Galilæa* Hierosolymas, sicut erat, ut patet, *Naim* nostra. De ea sic *Biddulphus* nostras. *Villa vulgo vocata Jenine, est olim Engannim. Locus hortis, paradisis & aquis admodum amænus.*

Quare Græcus interpres reddat עין גנים *Engannim* Πηγὴ γραμμάτων, *Fons literarum*, Josu. xxi. 29. doctiores investigent. Celebrantur quidem *Issacharitæ* ob peritiam suam in cal-

culandis temporibus, 1 *Paralip.* xii. 32. Ubi Targumistæ *Peritos in calculandis initiis annorum, & calendis mensium, in intercalandis mensibus & annis* סופיסטין במולרא דשיהרא *Sophistæ* [periti] *de noviluniis---* איצחלונין בכוזליא וכוכביא *Astrologi circa planetas & stellas*, &c.

Si Levitas inter *Issacharitas* habitantes, sub nomine *Issacharitarum* conscripseris, potuit *Engannim* [quæ erat civitas Levitica] esse Academia talis literaturæ & Matheseos, sed utrumque incertum: Atque æque obscurum illud, quod idem Græc. interpr. pro *Remeth & Engannim, & Enhaddah, & Bethpazes. Josu.* xix. 21. habeat Ῥεμμὰς καὶ Ἰεὼν καὶ Τομμὰν καὶ Ἀμιρὲκ καὶ Βηρσαφής.

CAP. IV. EMMAUS. *Luc.* xxiv.

I. *Varia de nomine, atque ipso loco.* II. *Ejus situs.* III. *Aliqua ejus historia. Item de Timnath: Et de monte Gilead. Josu.* 7. 3.

Sect. I. *Varia de nomine, atque ipso loco.*

DE *Emmaunte* aliquid diximus in *Centur. Corograph.* cap. 45. Addamus nonnulla.

I. Distabat *Hierosolymis*, testante Evangelista nostro, ut & *Josepho De excid.* lib. 7. cap. 27, *Sexaginta stadiis*; Computo stadiorum vulgarium, vii. M. pass. Judaicorum viii. M. pass. Quonam igitur exemplari *Josephi* usus est Cl. *Beza*, qui sic in locum? Ἑξήκοντα, *Sic apud Syrum interpretem, & in omnibus codicibus legitur. Itaque aut hic peccatum est in numero, aut apud Josephum libro de bello Judaico* 7. *cap.* 27. *non rectè scribitur stadia triginta.* Josephus noster plane habet, χωρίον ὁ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ ἀπὸ Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα.

II. Interpretes *Syr. Arab.* & *Pers.* nomen apud Evangelistam scribunt cum ע ab initio. *Syrus* & *Persa* עמאוס sic & *Syrus* in 1 Maccab. iii. 40. *Arabs* autem עמואס Talmudici אמאום cum

cum א inchoante. In Talm. Bab. quidem in *Erachim*, fol. 10. 1. ſcribitur עימאוס: aſt in *Miſnaioth* ſeorſim impreſſis, eſt ibi אמאוס ſic eſt in *Snecah* fol. 51. 5.

III. Joſephus vulgo reddit חמת *chammath Tiberiadis* [locum ſic dictum à *Thermis*] per Ἀμμαῦς; verum an *Emmaus* noſtra, idem ſubeat Etymon quæras.

Erant ibi quidem aquæ celebres, ſed vix calidas ſuppoſueris, ex ſcriptura vocis apud Talmudicos.

Midras Coheleth, fol. 101. 2. *Quinque diſcipuli erant Rabban Johanani ben Zaccai, qui dum ille viveret, ſederunt coram eò. At cum ille obiret, receſſerunt ad Jaſnen. R. Eliezer autem ben Erech receſſit ad uxorem ſuam* לאמאוס *ad Emmaunta* מים יגים *locum amænarum aquarum, atque amænæ habitationis.* Eſt in hac hiſtoriola aliquid diſquiſitione non indignum, quoad hiſtoriam Judæorum Scholaſticam, nempe ubi reſideret *Rabban Jochanan* ſi non in *Jabneh*: quem locum ei attribuunt ſui vulgariter: ſed de rebus iſtiusmodi non eſt hic diſputandi locus.

Gul. Tyrius, lib. 7. cap. 24. *Pervenerunt Nicopolim. Eſt autem Nicopolis civitas Paleſtinæ: hanc dum vicus adhuc eſſet, ſacer Evangeliorum liber appellavit Emmaus.— Ubi noctem illam in aquarum abundantia, & rerum copia victui neceſſariarum egerunt tranquillam.*

Profert ille ibidem verba quædam *Sozomeni in Sexto Tripartitæ Hiſtoriæ*, quæ libro ejus quinto, cap. 20. habentur, quibus aquæ *Emmauntinæ*, non ſolum ob earum abundantiam & amænitatem, ab eo celebrantur, ſed & ob miraculoſam ſalubritatem: Nam ſic ille. *Eſt urbs Paleſtinæ quæ jam Nicopolis dicitur, cujus quidem ut pagi* [*ſic enim jam tum fuit*] *divinus Evangeliorum liber mentionem facit,* Καὶ Ἐμμαῦ προσαγορεύει *eamque Emmam appellat. Ac Romani capta Hieroſolyma, & parta contra Judæos victoria, eam Nicopolin nuncupabant, nomine ex eventu belli impoſito. Ante hanc urbem, propter trivium* [*in quo Chriſtus poſt reſurrectionem à mortuis, cum Cleopha incidens ſimulabat ſe ad alterum pagum properè contendere*] *eſt fons quidam ſalutaris, in quo non homines modo qui ægrotant loti curantur, verum etiam alia animalia quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Chriſtum una cum diſcipulis quodam tempore è via ad fontem illum divertiſſe, in-*

que

que eò lavasse pedes, & aquam ex eò tempore vim morbis medendi habuisse.

Fidem rei referenti relinquimus: hoc tantum ex intimatione verborum ejus observantes, quod non mirum erat si tempore Evangelistarum *Emmaus* foret vicus tantum, cum non ita pridem exusta fuerit à *varo*. Joseph. Antiq. lib. 17. cap. 12. & De excid. lib. 2. cap. 7. Nec mirum si pristinum nomen ejus transierit in nomen alienum, *Emmaus* in *Nicopolim*, cum transierit ipse locus in Coloniam Romanam. Idem, De excid. lib. 7. cap. 27.

Sect. II. *Situs ejus.*

SI gradibus in cœlo statum vis hujus loci situm, sic habes apud *Ptolomæum*.

Emmaus. 65. 45. 31. 45.

Si vicinitate Regionum aut locorum adjacentium, Sic Hierosolymitani

Sheviith, fol. 38. 4. מבית חורון ועד אמאום הר מאמאום וצר לוד שגלרה *A Beth horone, ad Emmaunta est montanum. Ab Emmaunte ad Lyddam Planities, & Lydda ad mare Convallis.*

Si copiosius ex Ptolemæo, sic ille

Jamnia 65. 40. 32. 0.
Lydda 66. 0. 32. 0.
Antipatris 66. 20. 32. 0.
Emmaus 65. 45. 31. 45.
Hierosolyma 66. 0. 31. 40.

Quamvis computus spatii inter Hierosolymam & *Emmaunta* non congruat hic exactè cum *Josepho* & Evangelista nostro, ad quem cardinem cœli tamen spectarit *Emmaus*, hinc discas, ex locis simul nominatis. Quibus addas & illud

Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 11. & 1 Maccab. iv. *Judas Maccabæus*, secus *Emmaunta* confligit cum *Gorgia*, & fugiunt *Gorgiani*, & prosequuntur *Maccabæani* μάχει Γοργίου καὶ τῶν περὶ αὐτὸν τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀζώτου καὶ Ἰαμνείας *Ad Gadaron* [Gezer] *& ad planitiem Idumææ, & Azotum, & Jamniam.*

Hæc

Hæc ideo notamus, ut appareat *Emmaunta* fuiſſe *Galilæam* verſus, quamvis vergeret ab *Hieroſolymis* etiam verſus Occidentem. Nam cum pro latitudine *Galilææ* ab Occidente in Orientem extenſæ, neceſſe erat ut variæ eſſent ab *Hieroſolymis* in hanc vel illam ejus partem viæ, hæc per *Emmaunta* erat una, per *Bethhoronem* alia, per *Antipatridatertia*, ſi illa non coincideret etiam cum *Emmauntina*: Nam coincidiſſe ſuadere poſſent verba *Gul. Tyrii*, qui caſtramentationes & itinera exercitus cruce ſignati deſcribens, ſic ait

Lib. 2. cap. 22. *Relictis à dextra locis maritimis Antipatrida & Joppe, Eleutheriam pertranſeuntes Liddam quæ eſt Dioſpolis pervenerunt.* Et

Cap. 24. *Unde aſſumptis itineris ducibus, viris prudentibus & locorum peritis, pervenerunt Nicopolin*; quæ eadem cum *Emmaunte*.

Non ſine ratione igitur ſupponimus, duos diſcipulos ad *Emmaunta* tetendiſſe, non ut ultimum itineris ſui terminum ſed quod illac eſſet via in *Galilæam*.

Sect. III. *Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath: & de monte Gilead, Joſu.* 7. 3.

IN quanam tribu fuerit *Emmaus*, difficilius foret judicare, propter ſitum *Bethoronis* quæ erat in tribu *Euphraimitica* Joſ. xvi. niſi quod Talmudici ſatis doceant non fuiſſe de *Samaritide*.

Erachin, fol. 10. 1. & *Succah*, fol. 51. 1. *Servi ſacerdotum erant, ait R. Meir. At R. Joſe dicit, erant de familia Beth Pegarim & Beth Zipporia in Emmaunte, matrimonio elocantes filias ſuas ſacerdotibus.*

Sermo eſt de fidicinibus in templo, & diſputatur quinam illi, an Levitæ an Iſraelitæ, ſpeciatim *Emmautini*, de duabus iſtis familiis, quæ ob puritatem, idoneæ erant ut conjugarentur cum ſanguine ſacerdotali. Quæ extra omnem controverſiam rem ponunt, *Emmaunta* non fuiſſe in tribu *Ephraimitica*, nam abſurdiſſimum opinari Samaritiſſas connubia cum ſacerdotibus contrahere, & Samaritas eſſe de fidicinibus in Templo. In tribu *Benjamitica* ergo diſponenda eſt *Emmaus* quæ quid olim dicta fuerit non datur conjectare.

De

De hoc loco opinamur mentionem esse in

Siphra, fol. 9. 4. *Dixit R. Akibah. Interrogavi Rabban Gamalielem & R. Josuam* באטלס של אמאוס *in macello Emmauntis, cum irent ad accipiendum bestiam in convivium pro filio, &c. Rabban Gamaliel & R. Josua* erant *Jafnenses*, unde computato situ *Jafnis*, audacius arbitreris eos in *Emmaunte* nostra jam fuisse. Eadem habes *Maccoth*, fol. 14. 1.

Erat illa de civitatibus majoribus: nam sic de ea *Josephus*.

Antiq. lib. 14. cap. 18. Καὶ τέσσαρας πόλεις ἐξανδραποδίζεται Κάφθιρα ὧν ἦσαν αἱ δυνατώτεραι Γόφνα τε καὶ Ἐμμαοῦς, πρὸς ταύταις δὲ Λύδδα καὶ Θαμνᾶ. *Cassius autem servituti mancipavit quatuor civitates, quarum potentissimæ erant Gophna & Emmaus: & præter eas Lydda & Thamna.*

Notitia imper. orient.] Sub dispositione Ducis Palæstinæ, inter alias, erat *Ala Antana Dromedariorum Admathæ*, ubi notat Pancirol. *Admatham* ab Hieron. in locis Hebræis vocari *Ammatam*: Quæ ob consonantiam nominum, nostra videri possit, nisi quod probabilius est, quod tunc temporis *Nicopolis* potiùs vocaretur.

Cum observamus ut *Chammath* חמת vel *Thermæ Tiberiadis*, vulgo reddatur Græcè Ἀμμαοῦς, cumque observamus etiam *Emmaunta* nostram, aquis celebribus quoque nobilem, non recognoscere non possumus, *Aquas Nephtoæ*, vel *Fontem Etam*, unde deductæ per tubos sunt aquæ ad templum: Qui quidem erat ab *Hierosolymis* ab eodem cardine cœli, quo & *Emmaus* nostra. Et formari potest Ἐμμαοῦς nostra ab אמת *Ammath. Canali aquarum*, æquè ac altera Ἀμμαοῦς, ab חמת *Chammath* Thermis. Sed judicet lector.

In memoriam hujus loci nè omittamus hanc historiam.

Sigebert. Chron. ad tempora Theodos. & Valentin. *Hoc tempore in castello Judææ Emmaus, natus est puer perfectus. Ab umbilico & sursum divisus, ita ut haberet duo pectora & duo capita: & unusquisque proprios sensus: & unus edebat & non alter: unus dormiebat & alter vigilabat: Nonnunquam in simul dormiebant, in simul ludebant ad alterutrum: & flebat uterque: & percutiebant se invicem. Porro vixerunt annis ferme duobus, & unus quidem est mortuus, alter verò super vixit diebus quatuor.*

Si biceps hic puer foret filius Judæi alicujus, tum necesse erat ut solveretur

solveretur ista quæstio quæ proponitur. *Menachoth*, fol. 37. 1. מי שיש לו שני ראשים *Siquis habeat duo capita* באיזה מהן מניח תפילין *in utro eorum liganda sunt frontalia ejus Phylacteria?* Non vulgaris certè scrupulus: habe etiam ex glossatore non vulgarem historiam. *Asmodæus produxit ab infra pavimentum, hominem quendam bicipitem coram Solomone: atque ille duxit uxorem, & genuit filios sibi similes, bicipites, & similes etiam uxori suæ, cum uno capite: Et cum ventum esset ad dividendum hæreditatem paternam, ille qui habuit duo capita postulavit duas portiones. Et allata est lis dijudicanda coram Solomone.*

De *Thamna* aut *Timnath* de qua mentionem habuimus apud *Josephum*, disputatur in *Sotah* fol. 17. 1. Ubi *Rabh asserit, esse duas Timnathas, unam Judææ, alteram Samsonis.* Nemo non novit tertiam, *Timnatham Josuæ viz. Timnatham Serah* in montano *Ephraimitico.* Ubi ille sepultus, *Josu.* xxiv. 30. Permitte hic Rabbinos nugari, de inversis nominibus כרח & חרם, & fingere simulachrum solis affixum fuisse sepulchro *Josuæ*, in memoriam miraculosæ retardationis solis: Pro more suo agunt. Et certe non multum dispar est illud, quod à Græc. additur interpr. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ' αὐτοῦ εἰς τὸ μνῆμα, &c. *Ibi posuerunt cum eo in monumento in quo sepelierunt eum ibi, cultros petrinos quibus circumcidit filios Israel in Galgalis, cum eduxit eos ex Ægypto, sicut constituit iis Dominus:* Num hæc olim in textu Hebræo, & exciderunt? Aut an non sapiunt potiùs glossema Samariticum, aut traditionem Judaicam?

Tolerabiliùs aliquanto recedunt à textu Hebræo, in eadem historia, cum מצפון להר געש *Ab Aquilone montis Gaash*, reddunt Ἀπὸ Βορρὰ τοῦ ὄρους τοῦ Γαλαάδ. *Ab Aquilone montis Galaad:* Ubi quantum judico, Non malos agunt Paraphrastas, quamvis non ad literam interpretes. Memineris obscuri istius, quod non parum torsit interpretes in *Judic.* vii. 3. Clama nunc ô *Gedeon* in auribus populi, quicunque formidolosus est & timidus ישב ויצפר מהר גלעד *Revertatur & abeat mane, à monte Gilead.* Scena hujus rei, erat in, vel prope vallem *Jezreel*, distans à monte *Gilead* Transjordanino, viginti aut triginta milliaribus: Et quomodo hisce *Gideonitis* jam recedendum est à monte *Gilead*? Novi quid afferatur in hujus medelam quod nempe sic intelligatur, Quicun-

que ſunt de monte *Gilead*, revertantur. Targumiſta in hunc ſenſum, Quicunq; eſt timidus revertatur ויתבחר משורא דגלעד *& eligatur de monte Gilead*, i. e. eligantur *Gileadita*: ſed utrum in animo ejus fuerit, eligantur *Gileadita* qui maneant, quia non ſunt timidi, vel qui revertantur, quia ſunt timidi, non tanti eſt ut inquiramus.

At nonne per montem *Gilead* hoc in loco intelligitur mons *Gaaſh*? Certè non diſcordat ſitus, & forſan non diſcordat nomen.

Unde mons *Gilead* trans Jordanem nomen ſuum duxerit, nemini eſt ignotum; ab aggere ſcilicet, & cumulo lapidum, erecto à *Jacobo* in teſtimonium fœderis, inter ipſum & *Labanem*, Gen. xxxi.

Legimus & de non abſimili, erecto à *Joſua* prope *Shechemum*, in teſtimonium fœderis, inter populum & Deum, *Joſu.* xxiv. 26. Jam ergo, quis ſuppoſuerit *Joſuam* ſepultum longè à civitate *Sichem*? Nam cum locus iſte ſingularius legatus & deſignatus à *Jacobo* fuerit filio ſuo *Joſepho*, quiſnam jam inter *Joſephianos* iſtam regionem hæreditabit juſtius quam *Joſua*? Sepultus ille ab Aquilone montis *Gaaſh* in agro proprio. Nonne mons iſte etiam dici *Gilead* potuit, ob columnam teſtimonii ibi erectam prope à *Sichemo*? unde pes montis & mons ipſe exurgens: [ſi verſus Aquilonem, quod arbitramur, tum] deſinere bene potuit non procul ab iſto loco ubi acta res *Gideonis*. Nam cum campus iſtius prælii, foret in *Manaſſitide* contiguus monti *Ephraimitico*, moneatq; *Gedeon*, ut diſcedant quotquot erant timidi à monte *Gilead*, vix meliorem ſenſum de monte *Gilead* excogitaveris, quam quod pars iſta montani Ephraimitici ſic dicta fuerit, à columna teſtimoniali ab Auſtrali ejus parte ſita, cum vulgare nomen ejus foret *Mons Gaaſh*.

H O-

HORÆ
Hebraicæ & Talmudicæ
IMPENSÆ
IN
Evangelium S. Lucæ.

CAPUT. I.

Ver. 1. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν, &c.

QUUM multi elapsi fuerint anni post Ascensionem Salvatoris, antequam mandata literis forent quatuor Sacro-sancta Evangelia, Apostolis, septuaginta Discipulis, aliisque verbi ministris, ubique interim Evangelizantibus, non mirum si avidi piique quam plurimi auditores, ex eorum concionibus & narrationibus, in pugillares quod audierant quantum possent referrent, & memoriæ propriæ consulentes, & utilitati aliorum. Nec mirum si inter hos non pauci commentarios aut historias ex collectaneis suis compingerent, ederentque. Quod quamvis ab iis præstitum animo non malo, & calamo bono ac fideli, longè tamen aberat ut istiusmodi scripta evaderent sempiterna norma fidei, atque indubitatus Canon.

Cum penes hos ſcriptores non eſſet vel ea ſeligere, quæ pro divino Canone ſelecta voluit ſapientia divina, vel eo ſtylo res enuntiare, quo enuntiatas voluit Spiritus Sanctus, quem nec facti ducem habuerunt, nec calami moderatorem.

Tali ergo trutina eorum ſcripta librat Evangeliſta hic noſter, ut ab eo nec improbentur ut falſa & hæretica, nec approbentur ut divina & Canonica. Non prius, cum dicit eos ſcripſiſſe καθὼς παρέδοσαν ipſiſſima eadem quæ tradiderant cœleſtes illi concionatores. Non poſterius, cum opponat quod ipſe eſſet παρηκολουθηκὼς ἄνωθεν. De quo ſuo loco.

Ἀναταξάσθαι διήγησιν.

In parem ſenſum ſonat hæc Phraſiologia cum iſta genti Judaicæ uſitatiſſima סדר הגדה: niſi quod iſta peculiarius applicetur ab iis ad commemorationem Paſchalem: At latius extenditur, לסדר אגדתא קמסדר אגדתא Succoth. fol. 53. 1. reddas licet, *Qui fuit* Ἀναταξάμενον διήγησιν.

Περὶ τῶν πεπληροφορημένων, &c.

Recognoſcas quid ſenſerint dixerintque Judæi infideles, de actionibus & miraculis & doctrina Chriſti, & congruentius erit reddere, *Rerum earum quarum nobis plena eſt fides* cum Eraſmo, Beza, vernacula noſtra, aliiſque, quam cum vulg. *Quæ in nobis completæ ſunt rerum.* Dixerunt illi, Deceptor eſt, ſeducit populum, magicè agit mira quæ agit, *At nobis plena eſt fides earum rerum quas egit & docuit*, &c.

Ver. 2. Οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, &c.

Si Ἀπ' ἀρχῆς reſpiciat tempus quo Chriſtus ipſe Evangelizavit in terris, quod quis dubitaverit, tum minimè diſtinguendum inter αὐτόπτας & ὑπηρέτας, nam quiſnam ab iſto tempore factus eſt miniſter verbi, qui non oculis viderit Chriſtum. Et tum facilè eſt obſervare quinam hi. Αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, Duodecim ſcilicet Apoſtoli, ſeptuaginta diſcipuli, aliique qui cum iis complêrunt numerum centum & viginti, Act. 1. 15.

Cum

Cum *Mnason* dicitur esse Ἀρχαῖος μαθητῆς, Act. 21. 16. intelligendum videtur quod fuerit Discipulus ἀπ' ἀρχῆς, id est, ab ipso tempore quo Christus ipse Evangelizavit. Verba ista Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, Act. 15. 7. sic intelligenda esse etiam res ipsa loquitur.

Ver. 3. Παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν.

Non malè quidem redditur *Assecuto omnia à principio.* At nonnè meliùs si *Assecuto omnia cælitus* vel *E supernis*, prout Ἄνωθεν significat οὐρανόθεν, ut Johan. 3.3,31. & 19.11. & Jacob. 1.17. & 3.17, &c. Nam

I. Hæc versio alteram etiam includit: qui enim *omnia* assecutus est cælitus vel divino afflatu, assecutus est omnia à principio.

II. Observetur distinctio ista Josephi, *Contra Apion.* lib. 1.

Δεῖ τὸν ἄλλοις παράδοσιν πράξεων ἀληθινῶν ἐπιχειρούμενον αὐτὸν ἐπίστασθαι ταύτας πρότερον ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον.

Oportet illum qui aliis spondet narrationem rerum veram, ut ipse prius eas cognoscat clarè, aut acta diligenter assecutus, aut sciscitans ab iis qui norunt.

Opponit ut vides τὸν παρηκολουθηκότα τῷ πυνθανομένῳ. Jam verò si Lucas hæc scripsit doctus ab aliis, sicut scripserunt illi de quibus agit commatibus antecedentibus, tum erat inter Πυνθανομένους non Παρηκολουθηκότας. Nec quid majus spondet, quam & illi spondere poterant de quibus loquitur Πολλοὶ ἐπιχείρησαν, &c.

Κράτιστε Θεόφιλε.

Conjecturâ unâ est Antiochenus, aliâ Romanus, nullâ certum quis & cujas. Erat *Theophilus* quidam inter Judæos, ipsissimis istis temporibus ut probabile, quo *Lucas* scripsit, at minime opinamur eum fuisse hunc nostrum. De eo *Josephus*

Antiq. lib. 20. cap. 8. *Rex Agrippa Jesum filium Gamalielis summo Pontificatu movens* Ἔδωκεν αὐτὴν Ματθία τῷ Θεοφίλου· *illum dedit Matthiæ filio Theophili.* Καθ' ὃν ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος

μ& Ἰουδαίοις ἔλαβε τὸν ἀρχὴν, *Sub cujus tempore bellum Judæorum contra Romanos cepit initium.*

Ver. 5. Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά.

Parum aut leviter versati videntur in paginis sacris, & non omnino in Judaicis, quorum animum invadere potuit opinio *Zachariam* fuisse summum Pontificem cùm dicatur fuisse de octava Ephemeria, & ministerium suum hac vice obtinuisse per sortilegium.

De institutione Ephemeriarum sub templo primo, non opus est ut dicatur quidquam, cum istius rei historia sit in omnium manibus, 1 *Paralip.* 24. At sub templo secundo, erat aliquid diversitatis, non quoad ordinem quidem Ephemeriarum sed quoad earum capita & familias. De qua re fuse Talmudici nec quidem inaniter, qui vice mea hic commententur.

I. *Hieros. Taanith.* fol. 68. 1. *Quatuor* [משמרות] *Ephemeriæ sacerdotum ascenderunt è Babylone, Jedaiah, Harim, Pashur, & Immer,* [Ezr. 2. 36, &c.] *Obligarunt eos Prophetæ qui tunc temporis, inter ipsos versabantur, nè vel ipse Jehoiaribus si ascenderet è captivitate ἐφημερίαν se præcedentem expelleret, sed ut is sit potius isti appendix. Prostant isti Prophetæ, sorteſq; viginti quatuor in urnam conjiciunt. Accedit Jedaiah extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Accedit Harim extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Accedit Pashur extrahitque quinque, atque ipse erat sextus.*

Accedit Immer extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Pactum est inter eos Jehoiaribum si ascenderet è captivitate, non excluſurum Ἐφημερίαν *præcedentem, sed ei pro appendice fore. Prostant capita Ephemeriarum, & se partiuntur in domos Patrum,* &c. Eadem habentur in *Bab. Erachin.* fol. 12. 2.

Hæc si vera [& certè vafra non sunt, collato loco *Ezræ* allegato] Ἐφημερία τῆ Ἀβιὰ hic, & *Nehem.* xii. 17. non tam de stirpe *Abiæ* censenda est, quam quod ea nomen *Abiæ* retineret. Nam quamvis viginti quatuor classes, ex quatuor nominatis tantùm forent compactæ, ordinem tamen pristinum & prisca nomina retinuerunt. Si igitur *Jehoiaribus*, i. e. ejus Ephemeria ascenderet è *Babylone*, quod factum non est, cautum est, ne ordinem sic statum turbaret, in locum primum intrudendo. Sed retento nomine

Jehoiaribi

Jehoiaribi in prima classe, quæ constitit jam ex *Jedaianis*, ejus Ephemeria distribueretur in istas classes.

II. *Bab. Taanith.* fol. 27. 1. *Tradunt Rabbini. Viginti quatuor Ephemeriæ sacerdotum erant in terra Israelis, & duodecim Ephemeriæ in Jerichunte. Quid? Duodecim in Jerichunte? Sic augeretur numerus nimium. At duodecim ex iis erant in Jerichunte, ut cum afferet tempus, quo ascendendum erat Ephemeria Hierosolymam, dimidia Ephemeria ascendit ex terra Israelis, & dimidia Ephemeria ex Jerichunte, ut suppeteret per eos aqua & victus fratribus suis, qui jam Hierosolymis.*

Gloss. Cum jam adesset tempus Ephemeriæ ut ascenderet *Hierosolymam*, seipsam divisit ista Ephemeria, ut dimidia ejus pars iret *Hierosolymam*, & dimidia altera pars *Jerichuntem*, ut suppeditaret aquam & victum fratribus, &c.

III. De circulatione harum vicissitudinum, aliquid expiscari licet, ex

Gloss. in Midras Coheleth. fol. 82. 4. *Midras* ipsa, hæc habet verba.

Traditio R. Chaijæ. Scriptum est שבע שבתות תמימות תהיינה *Septem septimanæ perfectæ erunt* i. e. Inter Pascha & Pentecosten, *Levit.* xxiii. 15. *Quando autem sunt ista?* בזמן שאין ישוע ושכניה ביניהם *Quando Josua & Shecaniah non intercurrunt.*

Ubi Gloss. ex autore alio. *Cum incidunt Calendæ mensis Nisan Sabbato, incidit & Pascha Sabbato, & tum incipiant numerare ab exitu Sabbati, eruntque septimanæ completæ secundum dies Creationis. Exemplum sumit à Josua & Shecaniah. Nam viginti quatuor Ephemeriæ erant, quæ vices alternarunt unoquoque Sabbato: Inter quas Josua erat nona & Shecaniah decima. Septimanâ mensis Nisan primâ Jehoiarib. erat ephemeria prima: septimanâ secundâ Jedaiah.* של פסח כל המשמרות שוות שבת *Septimana Paschali omnes Ephemeriæ ministrarunt simul. Sex Septimanis ad Sabbatum illud quod præcessit Pentecosten, ministrarunt sex Ephemeriæ Harim, Seorim, Malchijah, Mijamin, Hakkos, Abiah Sabbato cui succedit Pentecoste, ingreditur Josua, at non ministrat nisi post Pentecosten. Ecce Josua & Shecaniah non sunt inter Pascha & Pentecosten: Si enim Josua foret inter Pascha & Pentecosten, non essent septimanæ completæ sicut dies creationis.*

Plura.

Plura addit, quæ fateor excedunt captum meum, quale est illud quod immediate sequitur, *Non sunt completa sicut dies creationis* כי יש למנות מנ ער נאו מה ער ה *Quia numerare licet à tribus ad tres, aut à quinque ad quinque, & ingredientur Josua & Shecaniah ante Pentecosten. Nam ecce Sabbato ante Nisan esto Jehoiarib.* ויהיו ז שבועות ער הפסח *Et sint septem septimana ad Pascha*, &c. quæ aut Sphalma Typographicum sapiunt, aut mihi Ænigma.

Utcunque: ex tota serie dissertationis liquet, Initium duplicis circuitionis Ephemeriarum, fuisse cum duplici initio Anni, *Nisan* & *Tisri*: Ut & omnes Ephemerias simul ministrasse in Festis. De Paschate quidem est hic tantum mentio, at vero authoritate non caret, idem factum fuisse in Pentecoste & Scenopegia. Ordiatur ergo *Jehoiaribus* Ephemeria prima, in initio *Nisan*, excurrunt omnes exacte finita medietate anni, [observato, omnes in Paschate & Pentecoste ministrasse simul] nam sic expletæ sunt hebdomadæ xxvi. Incipiat iterum *Jehoiaribus* cum initio *Tisri*, & ministrantibus omnibus simul in festo Scenopegiæ, desinunt, hebdomadâ unâ tantum vacante, ante initium *Nisan*. Quod chasma ut suppletum fuerit, itemque mensis intercalaris cum occurreret, nimium foret hoc loci examinare.

IV. Ex ordine suo tralata, ac in locum posteriorem rejecta, est Ephemeria *Bilgæ*, si vera sunt quæ traduntur *Hieros. Succah.* fol. 55. 4.

Omnes, inquiunt, *qui montem templi ingressi sunt, intrarunt à dextrâ atque exierunt à sinistrâ. Bilgah autem semper ad Austrum tetendit propter Mariam filiam Bilgæ, quæ Apostatizavit. Abiit illa enim, & nupsit militi cuidam de regno Græcorum. Venit percussitque culmen altaris & dixit* לוקוס לוקוס *O lupe lupe, tu devoras bona Israelis, & tamen tempore angustiarum iis non auxiliaris. Sunt autem qui dicunt, hoc ideo statutum fuisse, quod non ascenderet Ephemeria Bilgæ ad ministerium cum adventarent ejus vices. Ingressus ergo Ishab vices ejus subiit. Bilgah igitur semper fuit inter exeuntes ac Ishab inter ingredientes: Istamque Ephemeriam dimoverunt ordine suo.*

V. *Taanith.* cap. 4. hal. 2. על כל משמר ומשמר היה מעמר בירושל *Pro unaquaque Ephemeria, erat cætus stationarius Hierosolymis Sacerdotum, Levitarum, & Israelitarum: cum adventaret*

taret tempus quo Ephemeriæ aſcendendum erat, Sacerdotes & Levitæ aſcenderunt Hieroſolymas: Iſraelitæ vero qui erant de iſta Ephemeria, congregarunt ſe in civitates ſuas, & legerunt hiſtoriam Creationis, Gen. 1. Atque homines ſtationis jejunarunt quatuor diebus in iſta hebdomada, à ſecundo ſcil. ad quintum.

Gloſſ. Pro unaquaq; Ephemeria erat cætus ſtationarius מעמד *Hieroſolymis*, ſtatus & ſitus in urbe, qui aſtaret ſacrificiis fratrum. Et præter hos, qui erant ſtati *Hieroſolymis*, erat cætus ſtationarius in unaquaque urbe: Nam totus Iſrael diviſus eſt in xxiv. ſtationatus ſecundum xxiv. Ephemerias. Erat ſtationatus *Hieroſolymis* Sacerdotum, Levitarum & Iſraelitarum, Sacerdotes Ephemeriæ aſcenderunt *Hieroſolymas* ad miniſterium, Levitæ ad Pſalmodiam, & de omnibus ſtationariis erant quidam ſtati *Hieroſolymis*, qui aſtarent ſacrificiis fratrum. Et reliqui congregarunt ſe in civitates ſuas, & preces fuderunt pro ſacrificiis fratrum ſuorum ut acceptarentur, & jejunarunt, & protulerunt librum legis in die jejunii, &c. Sic Gloſſ.

Ratio inſtitutionis horum ſtationariorum redditur in Miſna allegata, viz. כי היאך קרבנו של ארם קרם והוא אינו עומד על גביו *Nam quomodo offerri potuit oblatio cujuſvis, ſi ipſe præſens non aſtaret?* Jam vero cùm ſacrificium juge, aliaque nonnulla offerrentur pro toto *Iſraele*, atque impoſſibile eſſet ut totus *Iſrael* adeſſet, inſtituti ſunt hi ſtationarii, qui vice totius *Iſraelis* manus imponerent ſacrificio jugi, adeſſentque aliis oblationibus quæ oblatæ ſunt pro toto *Iſraele*. Et dum iſti hoc præſtarent *Hieroſolymis*, erant & alii ſtationarii in unaquaque Ephemeria, qui orationibus & jejuniis in civitatibus ſuis, promoverunt quantum poterant miniſterium fratrum ſuorum qui *Hieroſolymis*.

Siphra fol. 3. 2. *Filii Iſraelis imponunt manus, at Gentiles non imponunt manus. Filii Iſraelis imponunt manus, at filiæ Iſraelis non imponunt manus. Dicit R. Joſe, Dixit mihi Abba Eliezer, Erat aliquando nobis vitulus pro ſacrificio pacifico, & duximus eum in atrium mulierum, & mulieres impoſuerunt ei manus. Non quod Impoſitio manuum pertineat ad mulieres* אלא כפני נחת רוחות של נשים *Sed ut ſedarentur animi mulierum. Res notanda.*

In immenſum numerum creverunt ſacerdotes in omnibus Ephemeriis præſertim ſi verum ſit illud in *Hieroſ. Taanith.* fol. 69. 1.

Dixit R. Zeora nomine Rabh Honna, Etiam minima inter Ephemerias prodiit 85000 פרחי כהונה *germina ſacerdotum*, Res vix credenda,

Καὶ ἡ γυνὴ αὐτῆ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών.

Talmudicis כוהנת *Sacerdotiſſa*: nata ſcil. ſtirpe ſacerdotali. Licuit ſacerdoti, Leviticſſam vel Iſraelitiſſam ducere *Kiddushin*, cap. 4. hal. 1. At laudatiſſimum ſi duceret ſacerdotiſſam. Hinc hiſtoria iſta in *Taanith* ubi ſupr. *Octoginta paria fratrum ſacerdotum duxerunt octoginta paria ſororum ſacerdotiſſarum, in Gophne nocte una.*

Vix erat quicquam inter Judæos, majori cura & cautione proviſum, quam de conjugiis ſacerdotum, ut ſcil. illi uxores ducerent, quæ non macularent ſanguinem ſacerdotalem, & quæ idonea eſſent ad comedenda ſacrata. Hinc frequentiſſima de tali fœmina locutio הוגנת להנשא לכהונה *quod idonea eſſet, quæ maritaretur à ſacerdote.*

Joſeph. contra Apion. lib. 1. pag. mihi 918. de hac cura pluribus agit ὅπως τὸ ἦθος ἱερέων ἄμικτον καὶ καθαρὸν διαμένῃ· *ut ſtirps ſacerdotalis ſine mixtura & pura conſervetur.*

Ἐλισάβετ.

Ifto nomine uxor *Aaronis* apud Græc. interp. *Exod.* vi. 23.

Ver. 6. Ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι.

Sic *Numer.* xxxvi. 13. Αὗται αἱ ἐντολαὶ καὶ τὰ δικαιώματα.

Curioſius æquo forſan foret, Ἐντολὰς ad Decalogum referre, & Δικαιώματα ad præcepta Cæremonialia & Judicialia, quamvis & hoc non careat aliquo fundamento. Præcepta certe tradita poſt Decalogum, *Exod.* xxi. ad xxiv. vocantur Δικαιώματα, *Exod.* xxi. 1. & xxiv. 3.

Vix dixerit Vulg. interpres qua ratione reddiderit Δικαιώματα, per *Juſtificationes*, ut nec ejus ſequaces, quare inde arguant Juſtificationem ex obſervatione mandatorum, cum leges & *inſtituta hominum*, vocentur Δικαιώματα apud exteros authores, imo *prava conſuetudinis*, apud Græcos interpretes, 1 Sam. 11.. 13. Καὶ τὸ

δικαίωμα

δικαίωμα τῦ ἱερέως παρὰ τῦ λαῦ, &c. 2 Reg. xvii. 8. Καὶ ἐπορεύθησαν τοῖς δικαιώμασι τῶν ἐθνῶν, &c.

Vox Δικαιώματα frequentissime apud istos interpretes reddit רועים & חוקות quod vice plurium exemplorum, satis patet *Psal.* cxix. Atque ista quæ dicunt Judæi de voce Hebræa, obtinent etiam de Græca.

R. Sol. in *Num* xix. *Disputabunt forsan Satanas & Ethnici cum Israele, Quidnam, sibi vult hoc aut illud præceptum & quænam ejus ratio. Respondere est* חוקה היא, *Statutum est, & lex à Deo lata, & tuum non est de ea cavillari.*

Joma. fol. 67. 2. את חקתי תשמרו *Statuta mea observabitis. Hoc est, etiam ea de quibus Satanas & nationes mundi altercabuntur. Qualia sunt circa non comestionem porci. circa amictum Heterogeneum, discalceationem Leviri, purificationem leprosi, hircum emissarium: si forsan dicatur, vana sunt ista, textus dicit Ego sum Jehovah. Ego Jehovah ea institui & tuum non est de iis disceptare.* Δικαιώματα sunt, justa & æqua ex authoritate instituentis.

Ver. 8. Ἐν τῇ τάξει τῆς Ἐφημερίας.

Hieros. Taanith. ubi ante. *Prostiterunt capitâ Ephemeriarum, ac separtita sunt in domos patrum. Erantque in Ephemeria una domi patrum forsan quinque, sex, septem, octo, novem. Ex ephemeria in qua erant quinque domi patrum, tres ministrabant tribus diebus, & duæ ministrabant quatuor diebus. Si sex, quinque ministrabant quinque diebus, & una duobus. Si septem, unaquaque ministrabat die suo. Si octo, sex ministrabant sex diebus, & duæ die uno. Si novem, quinque ministrabant quinque diebus, & quatuor duobus diebus.*

Totum ordinem ministerii quotidiani habe, ex

Gl ſſ. in Tamid. cap. 6. *Altare magnum* i. e. sacrificii, *præcedit altare minus*, i.e. thymiamatis. *Altare minus præcedit duo segmina ligni* [apposita ad focum altaris magni.] *Appositio duorum segmentorum ligni, præcedit decinerationem altaris interioris*, i. e. thymiamatis. *Decineratio altaris interioris præcedit emendationem quinque lampadum. Emendatio quinque lampadum præcedit*

sparsionem sanguinis sacrificii jugis. Sparsio sanguinis sacrificii jugis præcedit emendationem duarum lampadum reliquarum. Emendatio duarum lampadum præcedit thymiama. Thymiama præcedit appositionem partium sacrificii in altari. Appositio partium præcedit Mincham. Minchah præcedit duas molas vel panes *summi pontificis. Duæ molæ præcedunt libationem. Libatio præcedit sacrificia additicia. Sic Abba Saul.* At paulo post *dicunt tamen sapientes, sparsus erat sanguis victimæ, dein emendatio quinque lampadum: dein thymiama, & postea emendatio duarum lampadum, & traditio est secundum sapientes.*

Ver. 9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε.

Tamid. cap. 3. hal. 1. *Dicit iis præfectus* בואו והפיסו *Venite & sortes projicite*, ut determinetur, *quisnam mactabit victimam, quis sparget sanguinem: quis decinerabit altare interius: quis decinerabit candelabrum: quis portabit partes ad ascensum altaris, caput, crus, duos armos, caudam spinæ dorsi, crus alterum, pectus, gulam, duo latera, viscera, farinam, duas molas & vinum.* זכה מי שזכה *Is obtinet, cui sorte obtingit.*

Joma, fol. 25. 1. *Conclave Gazith* [in quo factum est sortilegium] *erat formâ Basilicæ magnæ. Sortilegium erat in parte ejus Orientali, seditque Senior in parte ejus Occidentali.* [Gloss. senior aliquis de Synedrio qui docuit eos ritum Sortilegii.] *Circumsteterunt sacerdotes in circulo & Præfectus accedens arripit cidarim*, vel pileum, *à capite hujus vel illius, atque hinc norunt quod Sortilegium ab eo inciperet.*

Gloss. ibid. fol. 22. 1. *Circumsteterunt in circulo, accedensque Præfectus cidarim arripit à capite alicujus, atque ab eo incipit Sortilegium numerari, elevatque unusquisque digitum suum ad numerum, Dicitque præfectus, in quocunque desinet numerus, ille hoc vel illud munus sortitur, enarrat pariter numerum. Exempli gratiâ, centum vel sexaginta pro multitudine sacerdotum astantium. Numerare incipit ab eo cujus cidarim arripuit, & circumnumerat donec excurrit numerus. Atque in quemcunque numerus exspirat, ille munus illud sortitur de quo fit sortilegium. Et sic in sortilegiis omnibus.*

An sortilegium hoc fieret indies, an pro tota hebdomada quæ mini-

miniſtravit Ephemeria, non quæremus; deſiit hac vice ut videtur numerus quicunque ille fuerit pro eligendo ſufficum faciente, in *Zacharia* noſtro: cujus opus & actionem in iſto munere ne tædeat eâdem patientiâ his audire.

Τῆ θυμιάσει.

Tamid. cap. 5. halac. 4. מי שזכה בקטרת *Ille cui obtigit ſuffitum facere accipit acerram continentem tres cabos, in cujus medio erat thuribulum thure plenum, & cumulatum, ſuper quod erat operculum.*

Halac. 5. מי שזכה במחתה. *Illud cui obtigit vaſculum in quo ſumendæ prunæ, illud accipit atque aſcendit ad verticem altaris, motis que hinc inde carbonibus prunas recipit candentes, deſcenditque, atque eas evacuat in vaſculum aureum.*

Halac. 6. *Cum ab his jam perventum eſſet, ad ſpatium inter altare & Pronaon, tinnit unus ex iis in Migrepham* [tintinnabulum] *Quo audito, ſacerdos, ſi quis foras, novit fratres ſuos ſacerdotes ad adorationem jam ſe accingere, atque ille accurrens ingreditur. Novitque Levita fratres ſuos Levitas ad Pſalmodiam jam ſe accingere, atque is accurrit atque ingreditur. Præfectuſque Ephemeriæ tunc immundos ſiſtit in porta atrii Orientalis, ſanguine aſpergendos.*

Cap. 6. hal. 1. *Cum jam aſcenſuri eſſent gradus propylæi, illi quibus obtigit decinerare altare interius, & candelabrum, aſcendunt primi. Is qui decinerat altare interius, ingreditur, & tollit vaſculum & adorat & exit.*

Hal. 2. *Is cui obtigit vaſculum colligendis prunis, eas collocat ſuper altare interius, eaſque diſpergit uſque ad marginem vaſculi, & adorat & exit.*

Hal. 3. *Ille cui obtigit ſuffitum facere, thuribulum tollit è medio acerræ datque cuidam aſſiſtenti. Si quid thuris ſparſum fuerit in medium acerræ dat is illi in pugillum. Spargit thymiama ſuper prunas atque exit. Suffitum non fecit, donec diceret ei Præfectus, Suffitum fac.*

Ver.

Ver. 10. Καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω.

Cum ſacerdos ingrederetur ſanctum, facturus ſuffitum, ſono tintinnabuli, innotuit omnibus tum adeſſe tempus orationis, ut notatum ante. Et tum

I. Quotquot erant in atrio ubi altare, illi receſſerunt ab inter templum & altare & ſubduxerunt ſe inferius.

Joma fol. 44. 1. פורשין מבין אולם למזבח בשעת הקטרת *Receſſerunt à ſpatio quod erat inter Pronaon & altare dum fieret thymiama.*

Bemidbar rab. fol. 244. 3. *Dicit R. Joſe, In quinque circumſtantiis ſpatium inter Pronaon & altare, eſt æquale ipſi templo. Nam illuc non accedit quiſquam capite nudus, vino ebrius, & manibus aut pedibus illotus, & ſicut ſe ſubtrahunt ab ipſo templo tempore thymiamatis, ſic etiam ſe ſubtrahunt à ſpatio quod eſt inter Pronaon & altare tempore thymiamatis.*

II. In reliquis atriis non opus erat ut locum mutarent: at in omnibus ad orationes ſuas jam ſe addixerunt, idque ſilenter.

Beracoth. fol. 26. 1. *Patres inſtituerunt orationes pro tempore ſacrificii jugis.* Et qualeſcunque fuerint orationes quas fuderunt, ſive Phylactericæ ſolæ, ſive Phylactericæ conjunctæ cum aliis, ſive aliæ ſine Phylactericis, fuderunt eas ſilenter.

Ibid. cap. 2. hal. 3. *Qui recitat ita ut ipſe ſeipſum non audiat, fungitur tamen officio ſuo. At vult R. Joſe ut ita recitat ut vocis ſuæ ſonus ad proprias aures perveniat.* Ad quod ſilentium tempore thymiamatis & orationum, alludi videtur, *Apoc.* 8. 1, 3.

Finitis thymiamate & orationibus, apponuntur partes victimæ in altare, & tum applicant ſe Levitæ ad Pſalmodiam, & Sacerdotes ad clangorem tubarum.

Ver. 11. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος κυρίου.

Quæras merito an unquam antea viſus fuerit Angelus in templo, etiam primo cum jam tum vigeret apparitio Angelorum, multo minus in ſecundo, cum jam ea omnino evanuerat, ante exortum Evangelium.

Ea

Ea quæ referuntur de Simeone, Justo *Hieros. Joma* fol. 42. 3. *quod per quadraginta annos quibus ille ministravit in summo Pontificatu, viderit Angelum albis amictum secum ingredientem in sanctum die expiationis, atque egredientem, at anno ultimo ingredientem quidem, sed non egredientem, unde noverit quod isto anno esset moriturus*: cusa & excogitata esse videntur in honorem hominis, & celebritatem istius diei.

Ἐςὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαςηρίου.

Bab. Joma fol. 33. 2. *Traditio. Mensa* [panum propositionis] *erat ab Aquilone, à pariete remota cubitis duobus & dimidio. Candelabrum erat ab Austro, remotum etiam à pariete, cubitis duobus & dimidio. Altare* [thymiamatis] *positum erat in medio, protractumque pariter aliquantum versus orientem.*

Angelus itaque à dextra hujus altaris stans, à latere ejus Aquilonari stetit: à quo latere si introitus foret in sanctum sanctorum, quod opinatur *R. Chanina* in *Joma* fol. 59. 1. tum benè concipias Angelum à Sancto Sanctorum prodiisse subitanea comparitione.

Ver. 15. Οἶνον καὶ Σίκερα.

Id est, Judæis interpretantibus, nec male, *Vinum novum & vetus.*

Num. 6. 3. מיין ושכר יזיר Græc. Ἀπ' οἴνου καὶ σίκερα ἀγνιστήσεται.

Targ. מחמר חדת ועתיק יזר *A vino novo & veteri se separabit.* Sic *Deut.* 14. 26.

Bemidbar rab. fol. 240. 3. *R. Jose Galilæus dicit, Quare scriptura duplicat* יין ושכר *vinum & siceram? Nam annon vinum est sicera, & sicera vinum.*

Sicera est vinum absque dubio in *Num.* 28. 7. הסך כסך שכר ליהוה *Græc.* Σπείσεις σπονδὴν σίκερα κυρίῳ. *Targ.* נסך דחמר עתיק *Libamen vini veteris.*

Dum pensatius cogito quare tam severa interdictione, prohibeatur Naziræo, totalis usus vitis, ut non solum nè bibat de vino, sed & nè gustet de uvis, de acinis, de granulis uvæ, aut de cortice vitis, non possum non hæc duo apud me revolvere.

I. An

I. An vitis non fuerit arbor in Paradiſo, quæ prohibita fuit *Adamo* & quam guſtans peccavit. De hoc affirmative determinant magiſtri Judæorum abſque omni ſcrupulo. *Sanhedr.* fol. 70. 1. *Bemidbar rab.* fol. 140. 2. & fol. 238. 4, &c.

I'. Annon lex de Naziræatu reſpexerit ſtatum *Adami* dum eſſet ſub iſta prohibitione, vel dum eſſet innocuus.

Si enim immunditiæ corporales & legales, de quibus præcipitur, *Num.* 5. præſertim verò lepra, immunditiarum immundiſſima, optime delinearunt ſtatum & naturam peccati: Nonne *Nazireatus* puritatum in religione puriſſima [Thren. 4. 7.] commemoravit aliquid de ſtatu ante peccatum.

Erat יין מצוה *Vinum præcepti* ut loquuntur magiſtri, ad quod bibendum tenebantur ex præcepto. Quale ille, *Deut.* 12. 17, 18. vinum de decimis bibendum *Hieroſolymis*, & pocula vini ebibenda in Paſchate. Et hic quid agendum Naziræo? ſi bibat, violat præceptum de Naziræatu: Si non bibat violat præcepta de decimis & patrum. יתרץ אליהו *Solvat Elias cum advenerit.*

Ver. 17. Ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου.

Baptiſta eſt *Elias*, ſicut Chriſtus eſt David quia Antitypus, *Hierem.* 3. 9. *Hoſ.* 3. 5, &c.

Minus mirum ſi Judæi ex *Malachiæ* verbis, expectent *Eliam* perſonaliter venturum, cum & non pauci Chriſtiani idem expectarint: quamvis habeant hic Angelum aliter iuterpretantem, atque alibi ipſum ſalvatorem, *Mat.* 11. 14. *Hic ille Elias qui venturus.*

Sed non rite conceptâ Phraſiologiâ *Dies Domini magnus & terribilis*, ut & decepti verſione Græca, in opinionem lapſi ſunt, *Eliam venturum ante judicium extremum.*

II. Non dicitur à Malachia, *Ecce mitto vobis Eliam Thisbiten*, ſed *Eliam Prophetam*: quæ verba ſi ego Anglicè verterim, *Behold I ſend you a Prophet Elias*, fidentiſſimè dixerim, me non tantum ab animo *Malachiæ* errare, quantum Interpretes Græci qui ſtupenda audacia, ut traditionibus Judaicis faveant, reddunt Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστελῶ ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θισβίτην.

III. Bis tantum, ſi non fallar, eſt mentio de *Elia Propheta*, hoc eſt,

eſt, iſtis terminis, in ſacro codice: viz. loco *Malachiæ* citato, & II *Paralip.* xxi. 12. atque utrobique [pariter ſi non fallar] non intelligitur *Thisbites* in perſona ſua, ſed aliquis in Spiritu & zelo *Thisbitæ*. Verba *Malachiæ* ſic ſumenda docent *Gabriel* & ſalvator: atque optime etiam ſic ſumi poſſunt verba loco *Paralipomenon* allegato.

IV. Nobiliſſimus ille Propheta, qui vixit in diebus *Achabi*, *Thisbites* vocatur per totam ejus hiſtoriam, *Propheta* nunquam. Ut nec *Luc.* iv. 25. [ubi tamen *Eliſæus* vocatur *Propheta*] nec *Jacob.* v. 17. Nam ipſiſſima vox תשבי *Tiſhbi*, epitheton ejus, ſatis eloquitur dignitatem ejus Propheticam, dum idem ſonat quod *converſor*: A quonam enim Etymo vocem iſtam melius deduxeris? Quo etiam alludi videtur à *Malachia*, Ecce mitto vobis *Eliam Prophetam* והשיב *Et convertet* etiam ille, &c.

V. Aſt eſto ut dicitur *Thisbites* à civitate *Toſhab*, ut volunt Targ. & nonnulli Rabbinorum [quod tamen longius petitum] ipſiſſima iſta res evincere poteſt, non illum ipſum, ſed alium intelligi à *Malachia*, cum nihil memoret de *Thisbite*: ſed de *Elia Propheta*, id eſt Propheta in Spiritu *Eliæ*.

Parem Phraſiologiam habes, 2 *Sam.* xxi. 19. *Elhanan occidit Goliathum Gittæum*, id eſt *fratrem Goliathi*, gigantem ei ſimilem, I *Paral.* xx. 5.

Sic 1 *Reg.* xix. 15. *Tu Elia unge Hazaelem & Jehu*: Cum tamen *Eliſæus*, rem peregerit, 2 Reg. viii. 13. & ix. 1, 2. idque etiam per deputatum. Pari ſenſu epiſtola miſſa eſt ab *Elia* ad *Joramum*: id eſt ab aliquo in Spiritu *Eliæ*.

Sic apud Talmudicos, aliquis peritus ſignorum & linguarum vocatur *Mordechæus*, nempe quia ſimilis illi qui vixit in diebus *Aha-ſueri*? *Menacoth*, fol. 64. 2. & Gloſſ. ibi.

Ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα.

Venit *Johannes* Ἐν δυνάμει *In virtute Eliæ*, non miracula operante [nam *Johannes* nullum edidit miraculum *Johan.* x. 41.] ſed in virtute *Eliæ* homines convertente. *Elias* convertit multos filiorum Iſraelis ad Dominum Deum ſuum, 1 Reg. xviii. Sic & *Johannes*: qui & inſuper *convertit corda patrum ad filios*. Quod quid velit, obſcurius. Vix admiſeris ſcio, gloſſam Judæorum hoc

in loco, qui tam graviter hallucinantur circa perſonam, & qui nihil permittent præſtandum ab *Elia* quem expectant, quod vertat in bonum, niſi intra *Iſraelem*. At nonne Ethnici convertendi, dialecto Prophetarum ſunt filii Zionis, Hieroſolymæ, Eccleſiæ Judaicæ? vix quicquam frequentius: atque eo ſenſu *Malachias* in verbis ſub manibus. *Elias* Baptiſta convertet corda Judæorum ad Gentiles & vice verſa. Nam magnum erat hoc opus Evangelii, Judæos & Gentiles provocare in mutuos amplexus in agnitione Chriſti: quod fœliciter inchoavit *Johannes*, qui venit ut *omnes* per ipſum crederent, Joh. 1. 7. & crediderunt etiam milites Romani, *Luc.* 3. 14. æque ac Judæi.

Ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων.

Græc. in *Malach.* Καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ· variatis verbis Prophetæ, variat & Angelus, ſed aptiori ſenſu: Nam Gentiles non erant convertendi ad Judæos ut Judæos, aut ad Judaiſmum, ſed ad Deum *in prudentia juſtorum. Ad patres*, prout tunc temporis erat ſtatus Judæorum, ambiguum nimis ſonuit & periculoſum, nam illi inter eos præcipuè jam habiti ſunt pro patribus qui erant Patres traditionum, ad quos, procul abſit, ut quis convertatur, in ſtultitiâ traditionum, ſed ad Deum in prudentia juſtorum.

Ver. 18. Ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης.

Quare ergo non ſecluſus à miniſterio per legem ſuperannuationis? *Num.* iv. 3. & viii. 24. Audi magiſtros.

Cholin. fol. 24. 1. *Aliquid quod licitum eſt in ſacerdotibus, illicitum eſt in Levitis. Atque aliquid licitum in Levitis, illicitum eſt in ſacerdotibus. Tradunt Rabbini. Sacerdotes ob labem non ſunt idonei, ob annos ſunt idonei, Levitæ ob labem ſunt idonei, ob annos non idonei--- Ex illo quod dicitur, cum quinquageſimum ætatis annum expleverint miniſtrare deſinent, diſcimus quod anni faciunt Levitas non idoneos--- Forſan & ſacerdotes redduntur non idonei per annos: Et nonne hoc æquum eſt? Nam ſi Levitæ quos labes non reddidit non idoneos, redditi ſunt non idonei per ſuperannuationem, nonne multo magis ſacerdotes redditi ſunt non idonei per ſuperannuationem*

annuationem, qui ſic redduntur per labem? At dicit textus, Hæc eſt lex Levitarum, non Hæc eſt lex ſacerdotum -- Tradunt Rabbini: Sacerdos à quo tempore primùm pubeſcit, uſque dum conſenuerit eſt idoneus: at labes reddit eum non idoneum. Levita ab anno ſuo triceſimo ad quinquageſimum eſt idoneus, at ſuperannuatio reddit eum non idoneum. Quomodo hoc de Levitis intelligendum? Nempe pro tempore quo arca erat in eremo. Aſt in Shilunte, & templo non reddebantur illi non idonei, niſi ob aliquem defectum vocis. vid. Bemidb. rab. fol. 222. 3.

Ver. 21. Ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν, &c.

Refertur tale quid de *Simeone Juſto*, de quo mentio antea.

Hieroſ. ſoma, fol. 43. 2. *Summus Pontifex fudit orationem brevem in Sancto-Prolixus in oratione non fuit nè formidinem aliquam incuteret populo. Hiſtoria eſt de quodam qui prolixus fuit, & parati erant poſt eum intrare. Ferunt eum fuiſſe Simeonem juſtum. Dicunt ei, quare tam diu moraris? Reſpondit ille, Ego ſupplicavi pro templo Dei veſtri ne excidatur, Regerunt illi, utcunque non convenit tamen, ut tam diu moreris.*

Ver. 22. Ἦν διανεύων.

Eſt & Ἐννεύειν ver. 62. רמז ורומז *Surdo-mutus nutat, & nutatur ei, Gittim*, cap. 5. hal. 7. Διανεύει αὐτῆς & Ἐννεύσειν αὐτῷ.

Judicia facta à muto, diſtinguunt Talmudici in הרכנת ראש *Nutationem capitis*, & דמיות חרש *Significationem muti.*

Maimon. in Geruſhim, cap. 2. *Si quis mutus fiat, & tamen ſanæ ſit mentis, dicantque ei, Num libellum repudii conſcribemus uxori tuæ,* וחרכין בראשו *atque is capite annuat, ter experimentum faciunt*, &c. Et poſtea אין סומכין על דמיות חרש *Non nituntur ſignis ſurdo muti.* Nam ut ibidem אין דין מי שנשתתק כרין הרש *Differunt mutus & ſurdo-mutus*, Gloſſ. *Alter audire poteſt ſed non loqui, alter nec loqui nec audire.*

Apud magiſtros חרש *Surdo-mutus*, vulgariſſimè reſpicitur, ut talis factus ictu aliquo Paralytico, aut Apoplectico, unde & in-

tellectus non rarò ſauciatur. Hinc *Surdo-mutus* per Canones traditionales, privatur privilegiis officiiſq; quam plurimis, quorum alii fuerunt capaces.

Quæſtionem igitur diſputabilem ciere potuit hæc cauſa *Zachariæ*, an ſcil. arcendus ille à miniſterio, & privilegiis ſacerdotalibus, cum jam factus ſit חרש *Surdo-mutus*, niſi quod factus ſit modo tam nobili, atque extraordinario.

Ver. 24. Περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε.

Occultavit ſe quinque menſibus dicens, Quia ſic mihi fecit Dominus, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

Gravida erat, quia reſpexerat eam Dominus, ut auferret opprobrium. Occultavit ſe, quia ſic fecerat ei Dominus, dum opprobrium auferret: natum ſcil. tam nobilem donando, Naziræum futurum tam ſeverum, & Prophetam tam inſignem. Nè ergo ſeipſam polluendo, dum huc illuc ſpatiaretur, Naziræum in utero etiam pollueret, retrahit ſeſe à communi omnium conſortio, & ſecludit. confer. *Judic.* xiii. 4.

Innumeri ferè erant apud Judæos, qui Naziræatum aſſumerent proprio voto [Trecenti in diebus *Jannæi* Regis accedunt ſimul ad *Simeontm ben Shetah Hieroſ. Berac.* fol. 11. 2. & *Nazir.* fol. 53. 3.] at duo tantùm ex deſignatione divina, *Samſon* & *Baptiſta*: quos etiam in utero matrum à pollutione omni intactos conſervari volens eadem deſignatio, matres etiam ab omni pollutione remotas ſimul voluit: obſequitur *Elizabetha*, & *per totum tempus quo uterum geſtaret*, ſe abſcondit, ut ſecurius ſibi foret à contractione alicujus immunditiei, quamvis nominentur menſes tantum quinque, ob hiſtoriam illico referendam, menſis ſexti, ver. 26.

Mentio eſt de אישה מחפה עצמה Fœminâ gravidâ ſeipſam abſcondente aliam ob cauſam, *Jevamoth.* fol. 42. 1.

Ver. 26. Ὁ ἄγγελος Γαβριήλ.

Hieroſ. Roſh. haſhanah, fol. 56. 4. *R. Simeon ben Lachiſh dicit: Nomina Angelorum aſcenderunt in manu Iſraelis, ex Babylone. Nam ante, dictum eſt Advolavit ad me unus* מן *Seraphim. Seraphim*

phim ſteterunt ante eum. [Eſai. vi.] *At poſt, vir Gabriel.* [Dan. ix. 21.] *Michael princeps veſter.* [Dan. x. 21.]

Revocat Angelus *Zachariam* ad *Dan.* ix. ubi prædictio per *Gabrielem* de adventu Chriſti.

Ver. 29. Διεταράχθη, &c.

I. Rariùs viri ſalutarunt fœminas: Si verum illud in *Kidduſhin*, fol. 70. 1. *Rabh Judah* Præſes Academiæ *Pombedithanæ* adiit *Rabh Nachman* Rectorem Academiæ *Nehardeenſis*, & poſt aliqua inter eos colloquia, *Potum afferat Doneg filia mea, inquit Rabh Nachman, ut bibamus. Cui alter, At Samuel dicit, non utendum eſt miniſterio fœminæ, verum ea parvola eſt, ait Nachman. At Samuel dicit, inquit alter, non utendum eſt miniſterio fœminæ omnino. Placetne tibi, inquit Nachman, Lelitham uxorem meam ſalutare? At Samuel dicit, ait ille, vox fœminæ nuditas turpis eſt. Verùm eam ſalutare potes ait Nachman, mediante nuntio. Cui alter, At Samuel dicit non ſalutant fœminam. Salutare eam potes, ait Nachman, mediante marito. At Samuel dicit, inquit ille, non ſalutant fœminam omnino.*

II. Rariſſimus præſertim talis modus ſalutationis Χαῖρε κεχαριτωμένη בת חמורות vel אשת חמורות: quali titulo idem ipſe *Gabriel* olim ſalutaverat *Danielem*. Verum his exceptis, ſat terroris erat, quod conſpiceretur Angelus.

Ver. 32. Υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται.

Id eſt *Meſſias vocabitur*: Nam *Meſſias* & *Filius Dei*, convertuntur.

An בר עליון an בר גבורה dixerit Angelus, incertum: Certum, vocem utramque in gente fuiſſe uſitatiſſimam, עליון occurrit non raro in paginis ſacris, גבורה frequentiſſimè in Talmudicis: De priori obiter notemus illud in

Roſh haſhhanah, fol. 18. 2. *Statuit regnum Græcorum ſtatuto, nè nomen Dei memoraretur in ore Judæorum. At cum prævaleret regnum Aſmonæorum eoſque vinceret, ſtatuerunt ut memorarent nomen Dei etiam in Schedulis contractuum, ſic ergo ſcripſerunt,* בשנת כך וכך ליוחנן כג לאל עליון *Anno N. vel N. Jochananis ſummi Sacerdotis Dei Altiſſimi. At* גבורה Talmudicis longe frequentius in uſu.

Ver.

Ver. 35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, &c.

I. Angelica gloſſa eſt hic verſiculus, ſuper Prophetiam iſtam celeberrimam, *Ecce virgo concipiet & pariet.* Cujus veracitatem ſine hæſitatione credens *Maria*, ſemetque ipſam inſuper pro virgine iſta deſignari, modum tamen rei perficiendæ ignorans, quærit. *Quomodo fiet iſtud*, &c. Sumſit illa abſque omni dubio prophetiam iſtam ſenſu proprio, utpote loquentem de virgine intacta: & longe ab ea, & forſan tunc temporis, à tota gente, aberat ſenſus ille, quo locum iſtum, & vocem עלמה jam diu fucarunt Judæi.

II. Quæ de grandi hoc myſterio ex ipſis Judæis profert Nobiliſſi. *Mornæus.* De verit. Chriſtian. relig. cap. 28. exſcribamus eorum gratia quibus liber non eſt in manibus.

Moſes Hadarſan in Pſal. 85. *veritas germinabit ex terra* R. Joden inquit hic notat non dici *naſcetur* ſed *germinabit*, quia generatio & nativitas Meſſiæ non erit ut cæterarum creaturarum in mundo, ſed gignetur ſine copula carnali, ideoque nemo nominat patrem ejus, utpote qui abſconditur, donec ipſe veniat & patefaciat. Et in Genes. *Dixiſtis* inquit Dominus, *orphani ſumus nos, orbi patre, & talis etiam erit redemptor quem dabo vobis*, ſic apud Zachariam dicitur *Ecce ſervum meum cujus nomen Germen.* Et ex Pſal. 110. *Tu es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.* R. Berachiam idem elicere tradit. At R. Simeon ben Jochai in Geneſin evidentius. Spiritum magna virtute impulſum ex clauſo utero exiturum, ut altiſſimus Princeps fiat, qui Rex Meſſias. Hæc ille.

Ver. 36. Συγγενὶς σοῦ Ἐλισάβετ καὶ αὐτὴ συνείληφεν υἱὸν ἐν γήρει αὐτῆς.

Docet Angelus quonam ſpectarent partus & puerperia fœminarum grandæviorum & ſterilium, nempe ut viam ſternerent fidei de partu virginis. Si illæ præter, & ſupra naturam parerent, crede & virginem etiam contra naturam poſſe parere: Sic *Abrahamus* per fidem vidit diem Chriſti, ut nati ex intacta virgine, in nativitate Iſaaci ex grandæva & ſterili *Sarah.*

Ver.

Ver. 39. Ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν, &c.

Viz. ad *Hebronem*, Joſu. xxi. 11. Nam quamvis ſacerdotes poſt reditum è *Babylone* non in omnibus ipſiſſimis iſtis ſedibus diſpoſiti fuerint, quibus ante, cum tamen *Zacharias Aaronita*, dicatur habitaſſe in montano Judæ, non congruentius uſpiam domum ejus quæſiveris, quam in *Hebrone*, quæ ſpeciatim dicitur fuiſſe *Aaronitarum*.

Ver. 41. Ἐσκίρτησε.

Sic apud Græc. Interp. *Gen.* 25. 22. Ἐσκίρτων τὰ παιδία ἐν αὐτῇ. *Pſal.* cxiv. 4. Τὰ ὄρη ἐσκίρτησαν. Quod additur ab *Eliſabetha*, ver. 44. Ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, modum rei denotat, non cauſam: quaſi dixiſſet, *ſubſiliit exultatione vehementi*: Nam non magis novit *Johannes* embryo quid rei jam actum, quam norunt *Jacobus* & *Eſaus* in utero, quid de ſeipſis poſtea agendum.

Hieroſ. Sotah, fol. 2. 3. *Ad mare rubrum etiam infantes cantarunt in utero matrum ſicut dicitur* ממקור ישראל. Pſ. lxviii. 27. ubi Targ. in eundem ſenſum *Exaltate Dominum* עוברייא במעי אימון *fœtus in viſceribus matrum ſuarum de ſemine Iſrael.* Fruantur Hyperbole ſua.

Didicerat abſque dubio *Eliſabetha* à marito, infantem quem jam utero geſtat, deſignari pro præcurſore *Meſſiæ*, at non novit adhuc, quanam fœmina naſcendus *Meſſias*, donec hæc exultatio infantis in utero indicium daret.

Ver. 56. Ἔμεινε μῆνας τρεῖς.

Spatium apud magiſtros celebre, & definitum, quo detegitur an fœmina ſit gravida necne: quod obſervavimus ad *Matth.* 1. vid. *Jevamoth.* fol. 33. 2. & 34. 2. & 35. 1, &c.

Ver. 59. Καὶ ἐκάλουν αὐτὸ, &c.

I. *Schabb.* fol. 137. 2. *Circumciſor dixit, Benedictus ſit Dominus Deus noſter qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis*

bis circumcisionem. Pater infantis dixit. Qui sanctificavit nos præceptis suis, & præcepit nobis ut introducamus puerum in fœdus Abrahami patris nostri. Ast ubi jam lingua tua ô *Zacharia*?

II. Deus unâ simulque instituit circumcisionem, & nomina mutavit *Abrahami*, & *Saræ*: hinc mos nominandi filios cum circumciderentur.

III. Inter varias rationes cur hoc aut illud nomen foret filiis inditum, non raro hæc maximè obtinuit, ut ob honorem alicujus viri, infantem eodem nomine cohonestarent: quod hic ut videtur factum, cum *Zacharias* non potuerit hac in re animum suum patefacere. *Mahli* filius *Mushi* cohonestatur nomine *Mahli* avunculi sui, fratris *Mushi*, 1 Paralip. 23. 21, 23, &c.

Cholin. fol. 47. 2. *R. Nathan dixit: Profectus sum aliquando ad insulas maris, & accessit ad me fœmina quædam, cujus primogenitus mortuus fuerat ex circumcisione, atque etiam filius secundus: Adduxit ad me tertium, atque ego, expecta ô filia inquam aliquantum, donec resideat sanguis ejus. Expectabit aliquantum, & dein circumcidit, atque ille vixit. Nominarunt ergò illum nomine meo* נתן בבלי *Nathanem Babylonicum.* Vid. & *Hieros. Jevam.* fol. 7. 4.

Bab. Jevamath. fol. 105. 1. *Familia quædam erat Hierosolymis hominum, qui mortui sunt circa annum ætatis decimum octavum. Rem notam fecerunt Rabban Johanani ben Zachai, qui dixit, forsan de familia Eli estis de qua dicitur, omnes tui morientur in ætate virili. Ite & incumbite legi & vivetis. Incubuerunt legi & vixerunt, vocarunt ergo eos* משפחת יוחכן *Familiam Jochananis, de ejus nomine.*

Disputatur in eodem tractatu, fol. 24. 1. An filius ex fratriatione genitus, non sit necessariò nominandus de nomine defuncti: ut si is qui obierit ἀτεκνος, nomine fuerit *Joseph* aut *Jochanan*, filius fratri qui uxorem ejus duxerat, natus annon nominandus etiam fuerit *Joseph* aut *Jochanan*: At rariùs alias vocabatur filius de nomine patris, quod & in paginis sacris observare est, & Rabbinicis. Hoc aliquando factum fuisse non negandum: at tam rari illud exempli, ut facile credas præsentem nominis applicationem, vel ideo fuisse, quod *Zacharias* ipse, quid sibi videretur in hac re, non potuerit eloqui, vel in ejus honorem, utcunque jam ictu divino surdo-muti.

Ver.

Ver. 78. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

Reddiderim ego fidenter *Germen ab alto.* Niſi quod ſequatur *Illuminare*, &c.

I. Omnibus notum & notatum, צמח reddi à Græc. interpr. per Ἀνατολὴ, *Hierem.* xxiii. 5. Zech. iii. 8. & vi. 12. Atque omnibus notum quod צמח eſt *Germen.* Et quod ad vocem Ἀνατολή.

II. Eſt Ἀνατολὴ ἀγροῦ æquè ac Ἀνατολὴ βοτάνης *Ezech.* xvi. 7. Καθὼς ἡ ἀνατολὴ τοῦ ἀγροῦ. *Sicut germen agri.* Ibid. cap. xvii. 10. Σὺ τῷ βόλῳ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται. *Cum gleba germinis ejus areſcet.*

Et benè poteſt Chriſtus dici Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους *Germen ab alto*, in Antitheſi ad Germen illud ab infra, per quod periit humanum genus, arborem ſcilicet prohibitam in paradiſo.

Ver. 80. Ἐν ταῖς ἐρήμοις.

An *Johannes* fuerit Eremita, ſenſu vulgariter recepto, quære & judica ex his duobus. I. An unquam fuerit aliquis Eremita, iſto ſenſu apud Judæos. II. An ille abſentaverit ſe à Synagogis: atque an non præſentaverit ſe *Hieroſolymis* in feſtis: quibus & adjici poteſt, An ſe ſubduxerit à ſocietate hominum. Si à Synagogis, habitus eſt pro שכן רע *vicino malo Maym. Tephil.* cap. 8. Si à feſtis: tranſgreſſus eſt præceptum, *Exod.* xxiii. 17. Si à ſocietate hominum, quâ congruentiâ? Nam inconſonum videtur, ut ille qui natus fuit ad convertendos homines, ſe retraheret ab hominibus. Nihil mihi de Eremitiſmo *Johannis* perſuaſerit citius, quam illud quod dicat, ſe non noſſe Jeſum, *Johan.* i. 31. Cum tamen ei foret conſanguinitate conjunctiſſimus. In ſpelunca aliqua ſemper eum latuiſſe credas, cum per annos fere triginta nullam ſocietatem habuerit cum *Jeſu* cognato propinquiſſimo, imo nullam ejus notitiam: At ſi hoc ita, unde eum novit & modeſte ac humiliter à baptiſmo ſuo repulit, *Matth.* iii. 14. idque antequam de eo doctus fuerat per deſcenſionem Spiritus Sancti: Ut, *Joh.* i. 33. Ex hac quæſtione liceat etiam haſce excitare quæſtiones.

I. An *Johannes* apparuit aut actitavit ſub notione Prophetæ, ante annum ejus trigeſimum jam inchoatum? Ego negativum defenderim: atque hinc dictum eſſe arbitror, *quod fuerit in eremis*, nempe quod inter plebeios & ruſticos adhuc ut vir nullius nominis verſatus fuerit, donec ſeſe patefaceret in publico, ſub notione & authoritate Prophetæ.

II. An ille cognatum ſuum *Jeſum* hoc in ſpatio bene noſſe non potuerit, & incomparabilem ejus ſanctitatem admirari, & tamen adhuc ignorare quod ille *Meſſias*. Et cum modeſte repelleret eum à baptiſmo, eratne quod eum agnoſceret pro *Meſſia*, [quod quomodo convenit cum Joh. 1. 33?] an non potiùs quod, propter admirabilem ejus ſanctitatem, videret eum ſe præcedere?

Ver. 80. Ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως.

Johannes erat כהן מויחם Sacerdos nativitate indubitatus, & triceſſimum annum jam agens, pro more gentis, ſub examine ſynedrii magni, admittendus erat ad officium ſacerdotale, niſi quod à Deo aliò amandetur.

Middoth. cap. 5. halac. 4. *In conclavi Gazith conſedit Synedrium magnum Iſraelis, & judicavit de ſacerdotio. Sacerdos in quo inventa eſt labes, indutus eſt atris & velatus atris, atque egreſſus abibat. Cui vero non inerat labes, indutus eſt albis, & velatus albis, & ingreſſus miniſtrabat cum ſacerdotibus fratribus ſuis* [Confer. Apoc. 11. 5.] *Et latum celebrabant diem, cum non inveniretur labes in ſemine Aaronis ſacerdotis.*

CAP.

CAP. II.

Ver. 1. Παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου.

DE imperio *Romano* non agit N. Testamentum, nisi ut jam redacto sub Monarchatu: Cum caput illud quod tam lethaliter sauciatum fuerat in expulsione *Tarquiniorum*, sanatum jam foret, & revivisceret in *Cæsaribus Apoc.* xiii. 3. *Miratus est totus mundus*, inquit Apocalyptes, de ista restauratione, nec mirum, cum post antiquatum & emortuum, per tot annorum centurias regimen Monarchicum, refloreret tandem vivacius, splendidiusque.

Ast unde initium istius imperii, sit exactâ epochâ calculandum, non caret ambiguitate. Jacta ejus fundamenta à *Julio Cæsare*, subversa sunt in ejus cæde. Restaurata sunt ab *Augusto*, atque ædificium perfectum: verum à quonam tandem *Augusti* anno computanda sunt ejus natalitia? Dixerim ego à *Tricesimo primo*, ipsissimo isto anno quo natus est *Christus*. De quo anno sic

Dion. Cassius lib. 55. Πληρωθείσης δὲ οἱ καὶ τῆς τρίτης δεκαετίας, τὴν ἡγεμονίαν τὸ τέταρτον ἐκβιασθεὶς δήθεν ὑπεδέξατο. *Tertio quoque jam decennio completo, in quartum decennium, coactus scilicet, imperium suscepit.*

Nota vim vocis ἐκβιασθεὶς. Tum *coactus* est *Augustus* Principatum gerere. Impellente ut videtur senatu & populo, & summo cum consensu subdente se republica, regimini monarchico, ita ut imperatorem etiam renuentem, ad imperium adigat.

Novi inchoandam esse numerationem annorum regiminis *Augusti* à victoria *Actiaca*: nec male computant Gemaristæ cum dicunt, *Romanum Imperium initium sumpsisse in diebus Cleopatræ. Avodah Zarah.* fol. 8. 2. Et dicatur regimen exinde Monarchicum si velis, in Antithesi ad Triumviratum, qui tum expiravit: At certe pura puta erat ista Monarchia, ad quam erigendam conspiravit senatus & Respublica ipsa.

Ἀποσχίσθαι.

Vulg. & Lat. alii, *Ut describeretur*: quod secundùm literam posset intelligi, de delineatione totius Imperii secundum varias ejus provincias: Nisi quod hoc antea factum fuisse testetur *Æthicus*: cujus verba de tam nobili vetustatis monumento exscribere non gravabimur.

Julius Cæsar Bissextilis rationis inventor, divinis humanisque rebus singulariter instructus, cum consulatus sui fasces erigeret, ex senatus consulto, censuit omnem orbem Romani nominis admetiri, per prudentissimos viros, & omni Philosophiæ munere decoratos. Ergo à Julio Cæsare & M. Antonio Coss. orbis terrarum metiri cœpit.

Id est à consulatu supra scripti Cæsaris, usque ad consulatum Augusti tertium & Crassi, annis XXI. *mensibus* V. *diebus* VIII. *Zenodoxo omnis Oriens dimensus est.*

A consulatu item Julii Cæsaris & M. Antonii, usque in consulatum Augusti decimum, annis XXIX *mensibus* VIII. *diebus* X. *à Theodoto septentrionalis pars dimensa est.*

A consulatu similiter Julii Cæsaris usque in consulatum Saturnini & Cinnæ, à Polyclito meridiana pars dimensa est annis XXXII, *mense* I. *diebus* 10. *Ac sic omnis orbis terræ intra annos* XXXII *à dimensoribus peragratus est, & de omni ejus continentia perlatum est ad Senatum.*

Hæc ille: obscurior quidem aliquantum in computo consulatuum, ut & quod silentium est de parte Occidentali, quibus rebus non est hic locus immorandi. Hoc tantum animadvertimus, *Julium* cum *Antonio* consulem fuisse A. V. C. 710. atque annos XXXII. quibus emensuratus est orbis Romanus, expirasse A. V. C. 742. duodecim annis ante natum *Christum*.

Cogita interim, quidnam actum fuerit ab his emensoribus. I. Probabile est Tabulas Geographicas, ab iis exaratas fuisse, in quibus regiones delinearunt sub uno intuitu. II. Tabulas hasce fuisse commentariis illustratas, in quibus regionum descriptio, locorum nomina, & distantiarum computatio, & quicquid conducere potuit ad plenam totius Imperii notitiam. Tale quid ab ipso *Augusto* quoad *Italiam* factum, arguere videntur verba ista, *Plinii* l. 3. c. 5. *Quæ in re præfari necessarium est, authorem nos Divum Augustum*

guſtum ſecuturos, deſcriptionemque ab eo factam, Italiæ totius in regiones xi.

Et jam quidnam deeſt ad completam Imperii cognitionem, niſi cenſus hominum, & patrimoniorum, vel facultatum? Hæc cura *Auguſti.*

Sueton. in Octaviano, cap. 27. *Recepit & morum legumque regimen æque perpetuum: quo jure quanquam ſine cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit. Primum ac tertium cum Collega, medium ſolus. Primum* cum Collega *M. Agrippa. Tertium* cum Collega *Tiberio. Medium* hunc ipſum, de quo Evangeliſta, *ſolus.*

Ver. 2. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, &c.

Non prima ſub *Auguſto*, ſed prima quæ fuit ſub *Cyrenio*: Nam erat altera ſub eo ἀπογραφὴ, ſub qua ortaeſt ſeditio *Judæ Galonitæ.*

De hac de qua jam agitur, loqui videtur *Dion Caſſius*, nam tempora conveniunt, ſed difficilius eſt reducere in convenientiam omnia. Sic ille

Lib. 55. Αὐτὸς δὲ ἀπογραφὰς τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων οὐσίαν κεκτημένων ἐποιήσατο. Τὰς μὲν ἀδενεστέρας τάς τε ἔξω τῆς Ἰταλίας οἰκοῦντας οὐκ ἠνάγκασεν ἀπογράφεσθαι.

Ipſe recenſionem eorum qui in Italia habitarent, ac ad ducenta ſeſtertia poſſiderent, inivit. Pauperibus ac iis qui extra Italiam viverent, ad cenſum non coactis, ne quid turbarum darent.

Si illi qui extra *Italiam* vixerunt, non coacti ſunt ad cenſum, quomodo convenit cum noſtro Evangeliſta? Niſi ſic diſtinxeris, quod ſub una notione non ſunt ad cenſum coacti: id eſt non ad cenſum opum ſuarum, ut aliquid inde perſolverent: cum tamen ſub alia notione ſunt coacti, ad cenſum ſcilicet perſonarum, ut nomina & fidem darent Regimini Romano. Sed de his judicent doctiores.

Ver. 4. Διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαυίδ.

De familiis duabus ſtirpis *Davidicæ* jam exiſtentibus, legimus in Evangeliis, & de tertia apud Talmudicos: Familiâ *Jacobi* patris

tris *Joſephi*, & familia *Eli* patris *Mariæ*, & familiâ *Hillelis* Præſidis Synedrii. והיה מזרע דור מן שפטיה בן אבישל. *Qui fuit de ſemine Davidis, ex Shephatia filio Abitalis. Juchas*, fol. 19. 2.

An ab omnibus his conventum jam fuerit in *Bethlehemo*, non dicimus, [de *Joſephi* notatur quod ille de ſtirpe *Davidis*, partim quia agnoſcendus erat pater *Chriſti*, quamvis non foret, partim ut oſtendatur occaſio quæ *Mariam* duxit in *Bethlehem*, ibi *Meſſiam* parituram.] At quæ rere eſt, an non *Cyrenius* Cenſorem jam agens, ex inſtituto & aſtutia, omnes de ſtirpe Davidica in unum congregaverit, utpote qui audiverit *Meſſiam* ex iſta ſtirpe oriundum, ut judicaret an aliquid periculi inde oriturum.

Ver. 7. καὶ τὸν πρωτότοκον αὐτῆς υἱὸν, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν φάτνῃ, διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι.

Unde liquet, quod nec *Joſephus* nec pater ejus *Jacobus* domum illic haberent, nec *Eli*, qua exciperet filiam ſuam parturientem. Et tamen biennio poſt partum, habitarunt illic *Joſephus* & *Maria* in domo aliqua conductitia, uſque dum fugerent in *Ægyptum*.

Midras Echah, fol. 48. 3. *Dicit Arabs quidam Judæo, Natus eſt Redemptor Judæorum. Et ille, Quodnam ejus nomen? Menahem inquit alter. Et quodnam nomen Patris ejus? Ezechiah. Ubinam vero illi habitant?* יהודה נבירת ערבא ברבית להם *In Birath Arba in Bethlehem Juda.* Gratias plurimas promerebitur, qui dixerit quid ſit בירת ערבא *Birath Arba.* Gloſſator nihil aliud, quam quod *Birath Arba erat locus in Bethlehem Judah*, quod facile dignoſcitur ex ipſis verbis. At quis aut qualis iſte locus? בירה *Birah* quidem eſt *Regia*, aut *Caſtellum*, at quidnam ערבא? Silere melius quam inaniter conjectare: aliter proferre liceret illud in

Sotah. fol. 37. 2. ערבא ועורבא רערבא: quod loquitur de ſponſione, aut fidejuſſore de præſtatione legis. Sed abſtinemus.

Ver. 8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἀγραυλοῦντες, &c.

Schabb. fol. 45. 2. & *Bezah* fol. 40. 1. אילו הן מדבריות. *Hæc ſunt pecora Eremi. Ea nempe quæ prodeunt paſtum circa tempus Paſchatis*,

Paſchatis, & paſcuntur in campis וכנענות ברביעה ראשונה *& domum redeunt ad pluviam primam.*

Nedarim, fol. 63. 1. & *Taanith*, fol. 6. 1. *Quænam eſt pluvia prima? Incipit, tertio menſis Marheſhvan: media eſt ſeptimo, ultima decimo ſeptimo. Sic R. Mir: at R. Judah dicit, Septimo, decimo ſeptimo, & vicesimo primo.*

Oriente jam vere, egerunt pecora in eremos, ſive loca campeſtria, atque ea ibi paverunt per totam ætatem, interdiu noctuque iis invigilantes, ut abſque periculo iis eſſet à feris & furibus. Habueruntque hujus rei ergô מגדל נוצרים *Turrim cuſtodientium*, aut צריף *Tuguriola* quædam in hanc rem conſtituta, quod obſervavimus alibi. Jam vero, menſe *Marheſhvan* qui partem habuit cum *Octobri* & *Novembri* noſtris, ingruente jam hyeme, domum ſe receperunt cum gregibus & armentis.

Ver. 13. Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου αἰνούντων.

Targ. in Ezech. I. 24. מטריה מלאכי גרומא, *Exercitus Angelorum ſupernorum.* Item in 1 Reg. xix. 11, 12. משריה מלאכי רוחא *Exercitus Angelorum venti. Exercitus Angelorum commotionis. Exercitus Angelorum Ignis. Et poſt exercitum Angelorum Ignis* קל דמשבחין בחשי *Vox canentium ſilenter.*

Ver. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, &c.

Hymnum hunc Angelicum optime intelligas, ſi Εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, pro ſubjecto ponatur, & reliqua verba pro prædicato. *Benevolentia Dei erga homines, eſt gloria illi in altiſſimis, & pax in terris:* Καὶ interponitur inter Δόξα & Εἰρήνη non inter eas & Εὐδοκία.

Jam vtro Εὐδοκία illa Dei erga homines, adeo nunc patefacta per Nativitatem *Meſſiæ*, ut ceſſerit in gloriam Dei, ſupervacaneum foret illuſtrare, utque in pacem in terra, docet Apoſtolus ex effectu, *Epheſ.* II. 14. *Coloſ.* I. 20. alibique.

Ver. 21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν, &c.

Peſikta, fol. 16. 3. *Interrogarunt R. Simeonem ben Jochai, diſcipuli ejus. Quare inſtituit lex circumciſionem die octavo? Nempe*

nè dum omnes alii ſint lætantes, parentes infantis ſint mœſti. Defertur ergo circumciſio, donec tranſeat puerperæ ab immunditia ſua in munditiam. Nam ut paulo ante

Fœmina marem pariens, prohibetur marito ſuo ſeptem diebus: At die ſeptimo, adventante jam veſpera, quæ inchoat diem octavum טובלת ומותרת לבעלה *tingit ſe, & permittitur marito ſuo:* nam ſi per ſeptiduum ad eam appropinquaret, contraxit ab illa immunditiam. At die jam octavo, præſto eſt *Joſephus* ut uxori provideat, & curet de infantis circumciſione.

Ver. 22. Ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ.

I. *Schabb.* fol. 135. 1. *R. Aſai dicit* כל שאמו טמאה לידה *Ille cujus mater ſit immunda per puerperium, circumciditur die octavo. At ille cujus mater non ſit immunda per puerperium, non circumciditur die octavo.*

Quæres ſcio, quænam illa quæ non ſit immunda per puerperium? Reſpondeat gloſſ. in loc. *Illa cujus partus exſectus eſt ex utero: atque Ethnica quæ hodie parit & cras ſit proſelytiſſa, filius ejus non expectat diem octavum ut circumcidatur, ſed circumciditur illico.* Et Rabbini paulo poſt. *Accipit quis ancillam gravidam atque illa apud eum parit, filius ejus circumciditur die octavo. Verum ſi accipiat ancillam, atque cum ea filium jam natum, circumciditur die primo.*

Ethnicam non exſtimarunt immundam factam per puerperium, ideo quod non eſſet adhuc ſub lege de immunditia. Hinc è contra immunditia *Mariæ* puerperæ, quia illa ſub lege: Sic *Chriſtus* circumciſus quia natus ſub lege.

II. Poſt ſeptiduum permanendum erat puerperæ triginta & tribus diebus ברמי טהרה *In ſanguine purificationis ſuæ*, Levit. xii. 4. Ubi Græc. Ἐν αἵματι καθαρτῷ αὐτῆς *In ſanguine ſuo immundo:* procul ab animo, *Moſis.* Et M. S. Alexandr: longiùs Τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ δέκα καθήσεται ἐν αἵματι ἀκαθάρτῳ. *Triginta diebus & decem ſedebit in veſte immunda.* At

Peſikta ubi ante Col. 4. Scribitur ברמי טהרה *In ſanguine purificationis ſuæ:* אפילו שופעת דם כנהר טהורה *Quamvis effuderit ſanguinem ſicut fluvium, tamen eſt munda:* nec quicquam polluit ex contactu niſi ſacra. Septem diebus puerperium immediate

mediate ſequentibus ſedit בדמי טומאתה *In ſanguine impuritatis ſuæ*, at triginta & tribus ſuccedentibus בדמי טהרה *In ſanguine purificationis.*

Παρεγένετο τῷ Κυρίῳ.

I. Hoc cum primogenito factum, non cum aliis filiis poſtea genitis: Atque hoc non factum cum primogenito, niſi fuerit בכור לכהן *Primogenitus idoneus ſacerdoti.* Nam

Becoroth. cap. 8. hal. 1. diſtinguunt inter בכור לנחלה *Primogenitum idoneum hæreditati*, & בכור לכהן *Primogenitum idoneum ſacerdoti.* Quippe quod ſi primogenitus foret aliqua ſui parte mancus, aut in eo labes aut vitium ullum, hoc obicem non poſuit quo minus hæreditatem acciperet, at hoc eum non idoneum reddidit, qui ſacraretur Domino.

II. Primogenitus erat illico redimendus, cum jam triceſimum à nativitate ſua exegerat diem.

Rabbenu. Aſher in Becoroth, fol. 68. 2. *Quicunque natum ſibi habet primogenitum, tenetur ad eum redimendum quinque ſiclis, poſtquam ad diem triceſimum pervenerit ſicut dicitur Redemptio eorum poſt menſem unum, Num.* xviii. 16. Non quod exacte ſemper ſolutum fuerit pretium redemptionis die triceſimo, ſed quod exacte tum erat debitum. Hinc in tractatu citato, fol. 49. 1. *Si moriatur natus intra triginta dies, ſique dederat pater pretium redemptionis, ſacerdoti, reſtituat: Si moriatur poſt triginta dies & pater non dederit pretium redemptionis, det.* Ubi ſupponitur pretium ſolutum, vel ante triceſimum, vel poſt.

II. Siſtebantur illæ quæ purificandæ, in porta atrii Orientali, *Nicanoris* dicta, atque ſanguine aſpergebantur, *Tamid.* cap. 5. hal. 6. Ibi ſtata jam *Maria* ad purificationem, atque ibi *Chriſtus*, ut probabile, præſentatus Domino, præſentatus ſacerdoti.

Ver. 24. Ζεῦγος τρυγόνων, &c.

I. *Cholin.* fol. 22. 2. תורים גדולים *Turtures ætate majores, columbas minores.* Nam de columbis dicitur *Pulli columbarum*, at non ita de Turturibus.

Vocabatur hæc oblatio קרבן עני *Oblatio pauperis*, quam ſi

dives obtulerit יצא לא non functus est officio suo. Et cum multoties loquantur magistri de קרבן עולה ויורד *Oblatione ascendente, & descendente*, huc spectat. *Nam oblatio locupletioris erat agnus, si vero manus ejus non attingeret agnum, obtulit par turturum aut columbarum,* ואם דל הוא *Quod si egenus esset, obtulit decimam partem Ephæ, dicitur ergo Oblatio ascendens & descendens*, Pesikta. fol. 7. 4.

Idem fol. 3. 4. *Agrippa Rex voluit offerre mille holocausta die uno, ast eum prævenerit pauper quidam, duobus turturibus: sic etiam cum vellet quidam offerre juvencum, prævenit eum pauper manipulo olerum.* Plenam historiam habes in Vajicra rabb. fol. 168. 2.

II. De geminis columbis aut turturibus, una offerenda erat in *holocaustum*, altera in *sacrificium pro peccato*. Utra vero in holocaustum, aut sacrificium pro peccato, an ab ipso, aut ipsa offerente foret determinandum, an à sacerdote, an sorte, disputatur à magistris; *Joma* fol. 4. 1.

Ubi obiter non observare non possumus, beatam puerperam *Mariam*, offerre pro se *sacrificium pro peccato*. Et quid sibi vellet חטאת *sacrificium pro peccato* norunt omnes ex Levit. iv. & v.

Ver. 25. Συμεὼν ὁ ἄνθρωπος δίκαιος καὶ εὐλαβής.

I. *Simeon Justus* שמעון הצדיק de quo plurima & grandia historiæ Judaicæ, nihil rei hic habet: Nam ut certum est, eum longe ante hæc tempora obiisse, sic incertum an ille titulo *Justi* dignus æquè ac hic noster.

Joseph. Ἀρχαιολ. lib. 12. cap. 2. Δίκαιος ὀνομασθεὶς διά τε τὸ σέβειν Θεὸν εὐσεβῶς, καὶ τὸ φιλεῖν τοὺς ὁμοφύλους ἔτι. *Justus vocatus ob pietatem suam erga Deum, & charitatem erga contribules.* Esto: at majus est testimonium de *Simeone* hoc nostro.

II. *Rabban Simeon* filius *Hillelis*, in vivis, & Hierosolymis erat his ipsis temporibus de quibus Evangelista, vivente etiam patre ejus *Hillele*: cui defuncto, successit ille ut præses Synedrii. At de eo nihil famæ apud suos, præter nudum nomen.

Juchas. fol. 66. 2. *Rabban Simeon filius Hillelis senis Princeps Israelis sicut pater ejus: sicut videre est in cap. 1. Schabbath.*

bath, לא נזכר במשנה. *Ejus nulla memoria in Miſnah.* Nullius ergo ille pater traditionis, nec aliqua ab eo in *Miſnah* recitata: Quod quidem ſingulare: aſt unde hoc, non dicimus. An quod ſanius ſapuerit circa traditiones, an quod non ſatis calluerit traditiones, an quod fuerit *Simeon* hic noſter, atque altiùs ſpectaret quam traditiones. Hoc tantum obſtat, quod *Rabban Simeon* diutiſſime vixerit poſt natum *Chriſtum*, & quod filium ſuum *Gamalielem* educaverit Phariſæum.

Περιδεχόμενοι παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ.

Hoc eſt expectans conſolationem *Iſraelis*, jam eſſe in propinquo. Nam tota gens expectavit conſolationem *Iſraelis*: Ita ut nihil frequentius iis fuerit, quam jurare per deſiderium ſuum videndi hanc conſolationem.

Chagigah, fol. 16. 2. & *Maccoth*, fol. 5. 2. *Dixit R. Judah. ben Tabbai* ראה בכחמה *Ita videam conſolationem* [Iſraelis] *ſi non morte mulctavi teſtem falſum. Dixit ei Simeon ben Shetahh, Ita ego videam conſolationem, fudiſti ſanguinem inſontem.*

Chetubb. fol. 67. 1. *Dixit R. Eliezer ben Zadok.* ראה בנרמה *Ita videam conſolationem, vidi eam colligentem hordea inter ungulas equorum.*

Shevnoth, fol. 34. 1. *R. Simeon ben Shetahh dixit, Ita videam conſolationem, vidi quendam ſtricto gladio alium perſequentem.*

Targ. in Hierem. xxxi. 6. *Qui deſiderant annos conſolationis venturos.*

Ver. 35. Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, &c.

Animam id eſt *vitam tuam tranſibit gladius.* Prædicitur beatiſſimam virginem ſubituram martyrium. Poſitus eſt hic puer in contradictionem, & tu ipſa ab iſta contradictione non eris immunis, ſed morieris gladio. Suffragatur huic interpretationi *Epiphanius*

Hæreſ. 78. cap. 23. Ἦτοι ἀπέθανεν ἡ ἁγία παρθένος, &c. *Sive mortua eſt virgo ſanctiſſima, & ſepulta, ſummo cum ſplendore conjuncta mors illius eſt, & caſtiſſimus exitus, ac virginitatis ei corona conceſſa:* ἤτοι ἀνηρέθη, καὶ θαφεῖσα ἐτελειώθη τὴν ψυχὴν αὐτῆς ἐλλύτη

ελδίσῃ ῥομφαία· *Sive interfecta eſt, ſicut ſcriptum eſt, Et tui ipſius animam penetrabit gladius, gloriam martyres inter, ac decus obtinet.*

Ver. 36. Ἄννα προφῆτις θυγάτηρ Φανουὴλ ἐκ φυλῆς Ἀσήρ.

Erant ergo Prophetæ jam in populo. Veriſſimè quidem, *jam* erant, appropinquante aurora Evangelii, at per quatuor annorum retro Centurias aut circiter, nè unus quidem qui dignus iſto nomine: Quamvis Judaici ſcriptores nonnullos honorifico iſto titulo cohoneſtent, de qua re non hic agendum. At num inter eos *Anna* hæc noſtra æſtimata pro Prophetiſſa? Si ita, unde iſtud *A Galilæa Propheta non ſurgit*, *Johan.* vii. 52. Nam erat illa Galilæa: Et forſan ipſiſſimæ hujus rei ergo, notatur de ea quod fuerit *de tribu Aſer.*

Et quidnam concipis de his verbis in

Vajicra rabba, fol. 174. 4. & *Bemidbar rabb.* fol. 250. 4. נתון בצפון יבא ויבנה את בה שהוא מלך המשיח שהוא נתון ברוום. *Rex Meſſias qui poſitus eſt ab Aquilone, veniet & ædificabit domum ſanctuarii, quod poſitum eſt ab Auſtro.* Nonne aliquid ſaporis habent, de *Chriſto* prodeunte ex *Galilæa*?

Ver. 57. Οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ.

I. Quæro ego an fœminæ quoquam munere fungerentur in templo, quod opinantur nonnulli. Illud quod huc adducitur de fœminis congregatis ad oſtium tabernaculi, I *Sam.* 11. 22. longe aliud eſt à miniſtratione aliqua publica, ſi Targumiſtam & Rabbinos interpretes admittere velis.

Sic *Exod.* xxxviii. 8. נשים הצובאות *Mulieres turmatim concurrentes* ad oſtium tabernaculi. Targ. & hic & loco ante citato נשיא דאתין לצלאה *Fœmina quæ venerunt ad orandum.* Ubi interpretes Græci, legerunt צמאות pro צובאות nam reddunt Νηστευουσῶν αἱ ἐνήστευσαν. Ex pari audacia vel lippitudine omiſſerunt clauſulam iſtam, I *Sam.* ii. 22. *Et quod coirent cum mulieribus turmatim confluentibus ad oſtium tabernaculi.*

Patet fœminas iſtas aliunde tabernaculum adiiſſe devotionis ergo, non officio aliquo in eo fuiſſe functas. Sic & hæc noſtra, natu

Aſeritis

Aseritis, at natale solum verterat, & *Hierosolymis* sedem suam fixerat, partim ut devota, quo promptius orationibus vacaret in templo, partim ut Prophetissa, ut prophetaret in Metropoli.

II. *Non recessit à templo*, id est statis temporibus orationis. Sic præcipitur *Aaroni* & filiis, Levit. x. 7. *Non egrediemini ex ostio tabernaculi*, ubi *Siphra*, fol. 24. 2. לא בשעת עבודה *Non, tempore ministerii.*

Ver. 42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα.

Chetubb. fol. 50. *Leviter agat homo cum filio suo ad annum ejus duodecimum.* מכאן ואילך יורד עמו לחיו, *ast exinde descendat eum eo in vitam suam.* Sedulò jam & cum severitate, si opus est, applicet eum ad viam, normam, & artem istam in qua ei est vivendum.

Joma, fol. 82. 1. Ab anno duodecimo initiabant pueros ad jejunandum, מעת לעת A tempore in tempus, aut משעה לשעה ab hora in horam, ut assuefierent, & jejunare possent die expiationis.

Christus jam duodenarius יורד לחיו applicat se ad opus suum, ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς εἶναι.

Ignat. mart. Epist. ad Magnes. Σολομὼν δωδεκαετὴς κρίσιν ἐπὶ ταῖς γυναιξιν ἐποιήσατο. *Solomon duodenarius judicavit inter duas fœminas.*

Shemoth rabb. Dicit R. chama: Moses duodenarius avulsus est à domo patris sui.

Ver. 43. Καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας.

Oritur quæstio. An licuerit discedere *Hierosolymis* ante finitum septiduum. Si non, quare discedunt *Petrus* & *Cleopas* die tertio? Si aliter, quonam sensu intelligendum est præceptum de manducatione Azymorum per totum septiduum?

I. Disputatur à magistris super verba ista, Deut. xvi. 6, 7. *Immolabis Pascha vespere ad occasum solis-- Maneque consurgens vades ad tentoria tua.* An licuerit mane post comessum agnum redire ad sua. Et negatur, idque merito. Nam ut

Gloss. in Hagigah, fol. 17. 2. *Die festo*, i. e. primo septidui,

dui, *Limites Sabbatici prohibuerunt.* Die enim feſto non licuit excedere limites Sabbaticos. *Illud ergo*, inquiunt illi, *quod dicitur Ibis ad tentoria tua hoc vult, Ibis ad tentoria tua quæ extra mœnia Hieroſolymæ, at nequaquam in domum tuum.*

II. Num licuit igitur die feſti ſecundo redire ad ſua? Nec illud: Nam die iſto erat generalis comparitio in atrio, & præſentatio oblationum. Et hoc videtur innui à *R. Elhanani*, in gloſſa alia ad locum modo citatum. *Duæ cauſæ*, inquit, *erant pernoctationis in Hieroſolyma, Prima ob diem feſtum, ſecunda ob* קרבן *Oblationem.*

III. Tertio die non erat illicitum diſcedere, ſi urgeret neceſſitas. Sed, quod in plurimis dicere ſolent magiſtri, in hoc etiam dici poteſt יותר משובח laudabilius erat ſi *Hieroſolymis* commorarentur per totum Septiduum: præſertimque propter diem ultimum qui erat feſtus.

Peſikta, fol. 75. 3. *R. Joſe Galilæus dicit* שלוש מצוות נוהגות ברגל *Tria præcipiuntur præſtanda in feſto.* 1. חגיגה *Chagigah.* 2. ראיה *Comparitio* in atrio. 3. שמחה *Lætitia. Chagigah*, ſive oblatio Pacificorum erat die primo. *Comparitio* in atrio, erat die ſecundo. Et *Lætitia* potuit eſſe die utroque.

IV. In tractatu *Moed-katon* qui agit de rebus licitè faciendis vel non faciendis in intermedio feſti, vel in diebus feſti pro feſtis, in ipſo limine permittuntur varia, quæ plane arguunt abſentiam & diſtantiam ab *Hieroſolymis.*

V. Quod ad manducationem Azymorum attinet, præceptum erat indiſpenſabile בל יאכל ובל ימצא. ut nec ederetur fermentatum, nec apud eos inveniretur fermentum per dies illos ſeptem, at nemo dixerit reſtrictum fuiſſe hoc præceptum ad *Hieroſolymam.* Dicitur in *Hieroſ. kidduſhin*, fol. 61. 3. פסחן של נשים רשות *Paſcha fœminarum eſt arbitrarium*: id eſt comparitio fœminarum *Hieroſolymis* ad Paſcha: At non dixerint, quod comeſtio Azymorum erat arbitraria fœminis, aut pro libitu. Nam quamvis ſederent domi, & non proficiſcerentur *Hieroſolymas* ad Paſcha, abſtinuerunt tamen à fermentatis, domi.

Hieroſ. Megillah, fol. 74. 5. מצה נאכלה בכל מושב. *Azyma comeſta ſunt in unaquaque domo.*

VI. Videtur ex Phraſiologia Τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, quod

Joſephus

Joſephus & *Maria* commorati ſunt *Hieroſolymis* per totum ſeptiduum; quod & ab aliis generalius factum ex devotione. Et tum concipe quam innumeræ turbæ, hac & illac jam diſcederent, ſpeciatim vero quanta cum *Joſepho* & *Maria* verſus *Galilæam*. Ita ut minus mirum foret ſi *Jeſus* in conſpectu parentum non fuiſſet, ſi modo extitiſſet ſimul cum turba, nec abſentia ejus in eorum ſuſpicione.

Ver. 44. Ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν.

Ab *Hieroſolymis* verſus *Galilæam* prima ordinaria dieta, erat ad *Neapolin* olim *Sichem*, diſtantem xxx M. paſs. At quæras an iſta fuerit præſens dieta *Joſephi* & turbæ coitinerantis. Longè propius ab *Hieroſolymis* oſtenditur peregrinantibus locus, ubi primum abſentia Chriſti innotuit parentibus, nomine *Beere*, decem tantùm miliaribus diſtans ab urbe. Crede oſtendentibus, pro libitu.

Ver. 46. Καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων.

I. *Sanhedr.* cap. 11. hal. 2. גבתי רינין שם. *Tres conſeſſus erant in Templo. Unus in portâ atrii gentium. Alius in porta atrii Iſraelis. Tertius in coenaculi Gazith.*

Erat etiam Synagoga intra templum: quod obſervandum.

Joma, fol. 68. 2. *Venit Pontifex maximus lectum* [Periochas iſtas quæ legendæ die expiationis] *Chazan Synagogæ accipit librum legis, eumque dat Archiſynagogo, Archiſynagogus τῷ Sagan, & Sagan ſummo Pontifici*, &c. Ubi Gloſſ. *Synagoga erat prope atrium, in monte templi.*

In quonam horum loco inventus jam fuerit Chriſtus, definiant illi, qui *Beere* definierunt, ubi non inventus.

II. Quemnam etiam locum capeſſeret inter doctores, non facile dictu: Præſertim cum illud obtineret, quod dicitur *Megillah*, fol. 21. 1. *Tradunt Rabbini. A diebus Moſis ad Rabban Gamalielem, non didicerunt legem niſi ſtantes. At cum obiiſſet Rabban Gamaliel, ægritudo invaſit mundum, ita ut diſcerent legem ſedentes. Unde & Traditio: Ex quo obiit Rabban Gamaliel defecit gloria legis.* Vid. & *Succah*, fol. 49. 1. & *Jachaſin*, fol. 53. 1.

Et cum eò deventum eſſet poſt mortem *Gamalielis*, ut ſederent diſcipuli dum prælegeret magiſter, quomodo ſederunt? בקרקע *Humi.*

Hinc

Hinc illud loco in *Megillah* citato. *Rabh noluit ſedere in lecto & prælegere diſcipulo ſedenti humi.* Ubi Gloſſ. *Aut uterque ſuper lectum, aut uterque humi.*

Ibid. fol. 27. 2. *Interrogarunt R. Eleazarum ben Shammua diſcipuli ejus, Quomodo ad hoc grandævitatis perveniſti? Quibus ille, Ego nunquam feci ſyagogam* קפנריא *communem tranſitum* [i. e. Nunquam pertranſii per ſynagogam ut viam meam abbreviarem] ולא פסעתי על ראשי עם קדש *Nec unquam inceſſi ſuper capita populi ſancti*, Gloſſ. *Super capita diſcipulorum ſedentium humi in Beth Midras.*

Gloſſ. in Sanhedr. fol. 17. 2. לא באו לזקנה יושבין בקרקע *Si non adhuc attigiſſent Presbyteratum, ſederunt humi.*

An in nuda humo, poſſit diſputari ſi eſſet locus, ſed jam omittimus; hic enim mos invaluit poſt mortem *Gamalielis*, qui non niſi pluribus ab hinc annis cathedram capeſſivit: In cathedra jam ſedit *Hillel* magnus, vel ſi ille nuperrime occubuerit, cathedram jam tenuit *Simeon* ejus filius. Diſcipulorum ergo nunc temporis erat ſtare coram magiſtris, & non ſedere: Quomodo ergo Chriſtus eſt inter Doctores καθιζόμενος; Solutionem ſumas ex voce ſequenti.

Καὶ ἐπερωτῶντα αὐτὸς

Licuit, & in more erat, vel diſcipulis, vel quibuſvis aliis præſentibus, magiſtrum prælegentem, vel etiam totum Synedrium aut conſeſſum, publicè interrogare de dubio quovis quod iis hæſit. Duabus hiſtoriis vice plurium hoc illuſtremus.

Bereſh. rabb. fol. 90. 3. *R. Judah ordinavit R. Levi ben Suſi doctorē Simonienſibus. Struxerunt illi ei ſuggeſtum magnum, atque illum in eo collocarunt. Et propoſuerunt ei quæſtiones* [ex Deu. xxv. 9. excitatas] נרמת ובמה היאך חולצת *Si truncata manibus ſit fratria, quomodo per eam extrahendus eſt calceus leviri?* רקקה דת מהו *Si conſputet ſanguinem quid tum?* Num ſanguis ab ea in ejus faciem conſputandus? Quæſtiones certe profundiſſimæ, & quæ Oedipum Oedipodiſſimum requirerent.

Hieroſ. Taanith, fol, 67. 4. *Hiſtoria eſt de diſcipulo quodam qui venit & interrogavit R. Joſua* תפילת הערב מה היא *Oratio veſpertina cujus qualitatis eſt? Reſpondit ille* רשות *Arbitraria.*

ria. Venit ad Rabban Gamalielem & interrogavit, & ille dixit חובה *eſt ex officio. Cui alter, Nonne R. Joſua dixit mihi, eſt pro arbitrio? Et ille, craſtino cum ego ingredior Conſeſſum, proſta tu, & de hac re interroga. Proſtitit iſte diſcipulus, & interrogavit Rabban Gamalielem* [præſidem Synedrii] *Oratio veſpertina cujuſnam eſt qualitatis? Reſpondit ille* הובה *Res ex debito. Et alter, at ecce R. Joſua dicit, Quod eſt res arbitraria. Tum Gamaliel ad Joſuam. Num tu dicis quod eſt de arbitrio? Dicit ei non. Dicit exurge in pedes tuos, ut in te teſtentur. Rabban Gamaliel erat ſedens & exponens* [iſtum articulum ut probabile] *R. Joſua autem ſtans in pedes ſuos, donec acclamaret ei omnis populus. Dicunt* τῷ *R. Hetſpith interpreti, Dimitte populum. Dicunt* τῷ *R. Zenon Chazan, Dic Incipite & dixerunt Incipito, atque omnis populus ſtetit in pedes ſuos. Dixerunt ei ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper? Extemplo iverunt & præfecerunt. R. Eliezarum ben Azariah Synedrio---* כמה נפכלם היו שם *Quotnam ſedilia fuerunt ibi? R. Jacob ben Suſi dicit, Octoginta ſedilia diſcipulorum ſapientum, præter eos qui ſteterunt poſt cancellos. R. Joſe ben R. Bon dicit Trecenta ſedilia præter eos qui ſteterunt poſt Cancellos.* Eadem hiſtoria *Bab Beracoth*, fol. 27 2.

Hæc ideo copioſiùs exſcripſimus, non ſolùm ut probatum habeat lector, illud quod diximus, de diſcipulis interrogantibus magiſtros in Conſeſſu, ſed ut videat morem aliquem Conſeſſus, & ut confluxerint illuc plurimi, non ſolum de Diſcipulis ſapientum, ſed & de aliis.

II. Addamus inſuper & iſta:

Maymon Sanhedrim. cap. 1. *In urbe in qua non ſunt duo ſapientes magni, unus aptus ad docendum & inſtruendum in tota lege, & alius qui novit audire & interrogare, & reſpondere, non conſtituunt Synedrium, quamvis ſint ibi milleni Iſraelitæ*, &c.

Sanhedr. fol. 17. 2. *In civitate in qua non ſunt duo qui l quantur & unus qui audiat, non conſtituunt Synedrium. In Bitter erant Tres. In Jabneh quatuor, viz. R. Eliezer, R. Joſua, R. Akibah, & Simeon Temanites* רן לפניהם בקרקע. *Ille judicavit coram iis ſedens humi.* Per eum *qui audiit* intelligunt eum qui ita peritus erat traditionum, ut proponere quæſtiones potuerit, & reſpondere quibuſvis quæſtionibus propoſitis. Talis erat *Simeon Temanites*: qui quamvis ea eruditione foret, tamen quia ad Pres-

byteratum non erat promotus ſedit humi : id eſt, non in Subſelliis patrum Synedrii, ſed בכפסלים *In uno ſedilium* quæ erant prope à terra : nam hæc loquuntur de temporibus poſt mortem *Gamalielis* magni. Nihil incongrui ergo ſecum fert, ſi arbitremur *Chriſtum* jam fuiſſe in Synedrio ipſo illuc accedere potuerunt *Joſephus* & mater, ut eum quærerent atque ipſum in ipſis ſubſelliis patrum eſſe pro tempore eum aptum ſe approbaſſet ad proponendum quæſtiones vel reſpondendum : Nam ad ſua ſubſellia admiſerunt & alios, alia etiam ex cauſa *Sanhedr.* fol. 40. 1. Et minus mirum eſt, ſi ille in ſubſelliis Patrum jam ſederet duodecim tantum annos natus, cum *R. Eleazar ben Azaria* in Cathedram primariam admiſſus fuerit, annos natus tantum ſedecim. *Hieroſ. ubi ante* : Si vero foret in Synedrio inferiori, multo magis potuit inter eos ſedere. Verum illud quod maximè quærendum, eſt an Chriſtus inter hos ſederit *ut diſcipulus* : quod vix credendum.

CAP. III.

Ver. 2. Ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα.

HIEROS. *Sanhedr.* fol. 29. 1. אין ממנין שני כהנים גדולים באחת *Non præficiunt duos ſummos Pontifices ſimul.* Veriſſimè quidem. At præfecerunt tamen סגן *Sagan* cum ſummo Pontifice.

Juchaſin, fol. 57. 1. ex *Rambam*. זה למעלה לכן כמו שני למלך *Sagan quoad gradum, idem erat ſummo Pontifici, quod ſecundus quis Regi.*

Subſtituerunt quidem Pontifici ſummo, ſacerdotem alium, veſperiis diei Expiationis, qui in promptu eſſet ad fungendum officio diei, ſi forte immundities aliqua invaderet ſummum Pontificem, *Joma* cap. 1.

Hieroſ. Horaioth, fol. 47. 4. *Hiſtoria eſt de Ben Elam è Zipporim, quod cum gonorrhæa obtigerat Pontifici die expiationis, ille ingreſſus eſt & functus officio diei.*

Et alia hiſtoria, De Simeone ben kamith, quod cum ambularet

cum

cum rege veſperiis diei Expiationis, veſtes ejus à ſaliva alterius erant tactæ: Ingreſſus ergo Judah frater ejus miniſtravit. Vidit illo die mater eorum, duos filios ſuos ſummos Pontifices.

Quæritur meritò an *Sagan* idem fuerit cum hoc deputato, & Judæi ipſi de re diſputant. Tuerer ego negativum: Nam *Sagan* non erat tam *Vice-Pontifex*, quam, ut ita dicam, *Super-Sacerdos*: idem cum ממונה *Præfecto Templi*, de quo tam frequens mentio apud magiſtros: cui cura præcipue incubuit de miniſterio.

Jema, cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה *Dicit iis Præfectus, I e & videte num inſtet tempus mactandi victimam.*

Tamid. cap. 3. hal. 1. אמר להם הממונה *Dicit iis Præfectus, Venite & projicite ſortes, quis mactet victimam, quis ſpargat ſanguinem,* &c. Gloſſ. סגן ממונה הוא *Præfectus eſt Sagan.*

Vocatur vulgo סגן כהנים *Sagan Sacerdotum*, quod arguit primatum ejus inter ſacerdotes potius, quam deputationem ſub Pontifice.

Sanhedr. fol. 19. 1. *Cum ſtat ſummus Pontifex in circulo lugentes conſolante*, סגן ומשוח בימינו *Sagan, & unctus ad bellum ſtant à dextra ejus, &* ראש בית אב *Caput domus patris, & lugentes, & totus populus à ſiniſtra.*

Nota ordinem ſic *Sagan.* Ille infra ſummum Pontificem, at ſupra capita Ephemeriarum.

II. *Reg.* xxiii. 4. את כהני המשנה. *Sacerdotes ſecundi ordinis.* Targ. ית סגן כהניא *Sagan ſacerdotum*, & cap. xxv. 18. צפניה כהן משנה. *Zephaniam Sacerdotem ſecundum*, Targ. צפניה סגן כהניא *Zephaniam Sagan Sacerdotum.*

Erat itaque *Caiaphas* ſummus Pontifex, & *Annas Sagan*, vel Præfectus Templo: qui ob independentem iſtam dignitatem, vocatur Ἀρχιερεὺς æquè ac *Caiaphas*: quique ideo videtur nominari prior, quia illius erat ſocer.

Chetubb. fol. 88. 2. & fol. 105. 1. פלונתא דחנן ובני כהנים גרולים *Diſſentio eſt inter Hanan & filios ſummorum Sacerdotum*, &c. In cauſa ſcil. judiciaria, circa uxorem efflagitantem dotem ſuam, &c. Ubi ſcrupulus eſt, quinam hi כהנים גרולים ſummi ſacerdotes: an Patres & Capita Ephemeriarum, an ſummus Pontifex tantum & Sagan. Erat בית דין של כהנים *Conſeſſus Sacerdotalis*, Cap. 1. ejuſdem tractatus hal. 5. de quo

diximus ad Mat. xxvi. 3. Jam quæritur, an per *Filios ſummorum Sacerdotum*, intelligendi ſint, Filii Patrum Ephemeriarum, an ipſi Patres Ephemeriarum, ut filii Pontificis & Sagan, ubi Pontifex in iſto Conſeſſu fuit inſtar נשיא *Principis in Synedrio*, & *Sagan* inſtar אב בית דין *Patris Synedrii*.

Peſikta fol. 11. 4. *Moſes factus eſt Sagan Aaroni: deveſtivit eum & veſtivit eum* [in die ſcil. conſecrationis ejus.] *Et ſicut factus eſt ei Sagan in vita ejus, ſic factus eſt etiam in morte ejus.*

Ver. 5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, &c.

Tale quid factum tradunt Judæi, à nube ductrice Iſraelis in Eremo. Pro multis loquatur *Targ.* in Cant. ii. 6. *Præcurrebat eos nubes una, itinere trium dierum* למכבא טוריא ולמר לי מישרא *ad deprimendos colles, & elevandas valles, & interimebat omnes ſerpentes ignitos & ſcorpios in deſerto, & explorabat eis locum idoneum ad pernoctandum.*

Quonam reſpiciant verba Prophetæ, norunt bene Chriſtiani: Judæi applicant ad vias complanandas pro reductione captivitatis Iſraeliticæ: Nam hoc præcipuum erat quod à *Meſſia* expectarunt, ut reduceret tantum captivitatem *Iſraelis*.

Bereſh. rabb. fol. 110. 3. *R. chanan dicit, Iſraeli non opus eſt doctrina Meſſiæ regis, tempore futuro, nam dicitur, Illum gentes requirent*, Eſai. xi. 10. *at non Iſrael. Si ſic, quare venit Meſſias, & quidnam venit acturus?* לכנס גליותיהן של ישראל *Ut colligat ſcil. captivitatem Iſraelis*, &c.

Ver. 8. Ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.

An Baptiſta luſerit ſono vocabulorum בניא *Banaia*, & אבניא *Abanaia* non dicimus: egregie certe deridet vanam populi fiduciam & jactantiam [cui nihil antiquius, vel frequentius quam gloriari, quod eſſent filii *Abrahami*] cum inquit ille, filios *Abrahami* quales vos eſtis, ſuſcitare poteſt Deus etiam de hiſce lapidibus.

Ver.

Ver. 11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι.

Nemo dixerit ſenſum eſſe, Qui habet duas tunicas det ei qui non habet duas, ſed ei qui non habet ullam: Nam uti ſimplici tunica aut veſtimento, pro religioſa habitum eſt à nonnullis, de qua re alibi.

Ver. 13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον.

Sanhedr. fol. 25. 2. כיון דהוו דקא שקלי יתירא פסלינהו *Cum viderent Rabbini, quod Publicani nimium exigerent, reſpuerunt eos:* ut non idoneos ad teſtandum in re qualibet. Ubi Gloſſ. יתירא *Nimium*, id eſt יותר מן הקצבה Πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον.

Et laudatur ibidem Pater *R. Zeiræ* quod leniter & honeſte munere iſto fungeretur. *Publicanatum egit* 13 *annis: Cum ad oppidum adventaret Princeps civitatis, videretq; Publicanus Rabbinos, dicere iis ſolitus eſt* לך עמי בא בחדריך *Vade populus meus, intra in cubicula tua,* Eſai. xxvi. Gloſſ. *Ne videat vos Princeps civitatis, & obſervans quod multi eſtis, cenſum augeat annuatim,* &c.

Ver. 14. Μηδὲ συκοφαντήσατε.

Levit. xix. 11. לא תשקרו Græc. Οὐδὲ συκοφαντήσει ἕκαστος.
Job xxxv. 9. עשוקים Græc. Συκοφαντούμενοι. Vid. *Pſal.* lxxii. 4. & cxix. 122, &c.

Dion. Caſs. lib. 58. ſtatim ab initio. Τῶν γάρ τοι συκοφαντεῖν ἐθελόντων ἔργον ἐστὶ λοιδορίας τε τινὸς προκατάρχεσθαι, καὶ ἀπόῤῥητόν τι ἐκφαίνειν ἵνα ἀκούσας τι αὐτὸς, ἢ καὶ ὅμοιόν τι εἴπων αἰτιαθῇ.

Hic enim Sycophantis mos, ut convitiis proſcindere aliquem, & arcani quippiam efferre ipſi incipiant, ut audiens alter, ipſe quoque ſimile aliquid enuntiando crimini obnoxius fiat.

Τοῖς ὀψονίοις.

Vox Rabbinis etiam uſitata.

Midr. Schir. fol. 5. 3. *Rex diſtribuit* אופסוניות ללגיונותיו ὀψόνια *legionibus.*

Sanhedr.

Sanhedr. fol. 18. 2. *Rex non admittendus eſt ad intercalationem anni* משום אופסניא *Propter opſonia.* Ne ſcil. ſibi ipſi faveret in diſpoſitione anni quoad opſonia militum.

Ver. 22. Ὡσεὶ περιστερὰν.

Inſedit, ſi Judæis credes, columba aurea, ſummitati ſceptri *Solomonis.*

Bemidb. rab. fol. 250. 1. *Sedenti Solomoni in ſolio, ſceptrum poſt eum appenſum eſt,* ויונה בראשו, *in cujus ſummitate erat columba, & corona aurea erat in ore columbæ.*

Ver. 23. Ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ.

I. *Schemoth rabba.* fol. 160. 4. *Parabola. Orphana quædam educata fuit ſub* אבימרונום *Nutritio quodam, viro bono & fideli: voluit ille tandem eam elocare in matrimonium. Accerſitur ſcriba qui ſcribat libellum de dote ejus. Dicit ille puellæ, quodnam eſt tibi nomen? N. inquit illa. Et quodnam nomen patris tui? Hic illa ſiluit. Cui Nutritius, quare ſiles? Cui illa. Quia ego non novi patrem ullum præter te.* שהמגדל נקרא אב ולא המוליד *Nam ille qui educat, vocatur Pater, non ille qui generat.* Nota illud. Joſephus *Jeſum* pro filio agnoverat ab ejus incunabulis, ſic doctus ab Angelo, & ſic conventum eſt inter eum & *Mariam*: eum redemerat infantem, nutriverat puerum, educaverat juvenem, nil mirum ergo, ſi vocetur *Joſephus* pater ejus, atque is Ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ.

II. Cogita qualenam potuiſſet eſſe judicium Synedrii hac in cauſa ex hac hiſtoria.

Kiddushin, fol. 80. 1. *Venit mulier quædam Hieroſolymam cum puerulo ſuper humeros ſuos portato. Educavit illa eum, atq; ille tandem cum ea coiit. Adducti ſunt ad Synedrium, & Synedrium eos lapidavit.* לא מפני בנה ובאי *Non quod indubitato eſſet ejus filius.* אלא מפני שכרוך אחריה *Sed quod ille ita ei adhæſerat.*

Jam finge tibi Beatiſſimum *Jeſum*, defuncto *Joſepho*, acceſſiſſe ad Synedrium, poſtulatum fundum & bona ejus, ut hæredem; Nonne æqua ratione obtinuiſſet, ut *Joſephi* filius. Non quod abſque dubio ejus filius foret, ſed quod ab incunabulis ita ei adhæ-

adhæſerat, à *Joſepho* ſemper educatus ut filius, & ſemper agnitus.

III. De *Joſepho* quodam fabro, loquuntur magiſtri Sect. 13. ejuſdem tract. *Shemoth rabba*, fol. 128. 4. שאל אבנימוס הגרדי ואז *Interrogavit Abnimus Gardiaus Rabbinos b.m. unde terra creata eſt primum? Reſpondent illi, non eſt quiſpiam peritus in iſtiuſmodi rebus,* אלא לך אצל אבא יוסף הבנאי *Aſt ito tu ad Abba Joſeph architectum. Abiit & invenit eum ſtantem ſuper tigna.*

In obſcuro æque eſt quiſnam ille *Joſephus fabr*, & quiſnam *Abnimus*; quam vis de hoc frequentior mentio apud iſtos authores: dicantque *Abnimum & Bileamum fuiſſe ſummos Philoſophos totius orbis. Bereſh. rab.* fol. 73. 4. Hoc ſolum de eo legimus, quod interceſſit familiaritas inter illum & *R. Meir. Midr. Ruth*, fol. 43. 2.

Τῦ Ἡλί.

I. Nec opus eſt, nec ratio ulla, nec fundamentum omnino ullum, quo fingamus conjugia neſcio quæ, & fratriationes neſcio quas, ut tollatur ſcrupulus hoc in loco, ubi quidem non eſt ſcrupulus omnino ullus. Nam

I. *Joſephus* hic non vocatur filius *Heli*, ſed *Jeſus*. Vox enim *Jeſus*, vel υἱὸς [non υἱῦ] ſubintelligenda eſt, atque in animo lectoris adjungenda unicuique propagini in hac genealogia hoc modo. *Jeſus filius Joſephi, ut exiſtimabatur, filius Heli, filius Matthat*: & tandem *Filius Adami, filius Dei*. Parum enim ad rem Evangeliſtæ erat, vel Genealogiam *Joſephi* ducere ab *Adamo*, vel oſtendere *Adamum* fuiſſe filium Dei: quod non ſolum duriuſcule ſonat, ſed hic enormiter & fere blaſpheme. Nam cum dixerat *Lucas* ver. 22. vocem cœleſtem pronuntiaſſe *Jeſum filium Dei*, putaſne eundem *Lucam* immediate pronunciare velle *Adamum filium Dei*? Quæ ipſiſſima res plane docet, quidnam ſibi propoſuerit Evangeliſta in textura hujus genealogiæ, nempe ut oſtenderet, *Jeſum* qui teſtimonium cælitus à Deo acceperat *Hic eſt filius meus*, eundem eſſe qui promiſſus fuerat *Adamo* de ſemine mulieris. Genealogiam ergo ejus texit per mulierem, matrem ejus, filiam *Heli*, & uſque ad *Adamum* cui ille promiſſus. Atq; ex poſtremo nexu catenæ Genealogicæ docet, quo ſenſu ſumendus

dus primus: nempe quod *Jesus* vocetur filius *Heli*, non *Josephus*, ut *Jesus* filius Dei, non *Adamus*. Et sic in unoquoque nexu intercurrente, subintelligendus, *Jesus* filius *Matthat*, filius *Levi*, filius *Melchi* & sic de reliquis.

Et congruit hic stilus Genealogicus cum isto *Mosis*, Gen. xxxvi. 2. אהליבמה בת ענה בת צבעון quæ verba si reddas *Aholibama filia Anæ filiæ Zibeon* emasculas *Anam* qui vir fuit & pater *Aholibamæ*, ver. 24. 25.

II. Si daretur *Josephum* vocari filium *Heli*, quod nequaquam conceditur, non laboraret tamen admodum solæcismo, cum gener ejus foret, maritus *Mariæ*, ejus filiæ. Filius per legem, sed non per naturam.

III. *Hieros. chagigah*, fol. 77. 4. Agitur de religioso quodam qui in insomniis vidit pœnas inferorum. Inter alia חמא מרים בית עלי בצלים quæ sic reddimus, libentissimè corrigendi si erramus. *Vidit Mariam filiam Heli in umbris. R. Lazar bar Josab dicit* תליא גרוטי ביזיא *suspensam per glandulas mammarum. R. Josah bar Haninah dicit* צידא תרעא גניהום קביע באורנה *Vectis portæ Gehennæ erat infixus ejus auri.*

Si hic sit verborum sensus, quod ego quidem credo, eousque convenit cum Evangelista nostro, ut *Maria* dicatur filia *Heli*, & reliqua dici in opprobrium beatissimæ virginis quis non suspicetur? Cui etiam convitiantur sub nomine *Sarda* non raro.

Ver. 27. Τῦ Ῥησὰ, τῦ Ζοροβάβελ, τῦ Σαλαθιὴλ, τῦ Νηρί.

I. Quod omittatur *Pedaiah* pater *Zorobabelis* 1 Paral. iii. 19. convenit cum Ezr. v. 2. Hag. 1. 1, &c. Sed quare ille ab iis omissus, non facile dictu.

II. De variatione nominum hic & 1 Paral. iii. hoc certe non indignum observatione: quod *Zorob.* & filii ejus, tralati fuerunt ex *Babylonia* in *Judæam*, & tralata forsan nomina cum mutarent sedes. Non tutum admodum fuit *Zorobabelo*, isto nomine vulgo vocari in *Babylonia*, quippe quod sonaret *Ventilationem* Babelis: vocatus ergo ibi vulgatius *Sheshbazzar*. At tutissimum in Judæa resumere nomen *Zorobabel*, cum *Cyrus* & *Darius* jam ventilassent *Babylonem*. Sic filii ejus *Meshullam* & *Hananiah*, vix tuto, & vix propriè dici potuerunt *Abiud*, id est, *Patris mei est gloria*, &

& *Rheſa, Princeps*, in Babylonia, aſt in Judæa, hæc nomina accommodatiſſima.

III. De variatione etiam nominum hic & *Mat.* 1. diximus iſto loco. Nempe quod *Neri* revera erat pater *Salathielis*: At dicit Matthæus *Jechoniam* illum genuiſſe [qui obiit abſque liberis, *Hierem.* xxii. 30.] non quod illius fuerit naturâ filius, ſed ſucceſſione hæres.

Ver. 36. Τοῦ Καϊνὰν

Non multum exſpatiabimur in controverſiam plus ſatis agitatam. Paucis expediemus ea, quæ nobis in hac re ſatisfaciunt.

I. *Lucam* verſionem Græcam hic ſecutum fuiſſe minime dubitamus atque quidem omnibus eſt in confeſſo, quæ ſic in *Geneſ.* xi. 12, 13. *Et vixit Arphaxad centum triginta quinque annos & genuit kainan. Et vixit kainan centum & triginta annos & genuit Sala. Et vixit Cainan poſtquam genuerat Sala, annos trecentos triginta.*

Dum *Theophilum ad Autolycum*, lib. 3. de hac re lego, non poſſum non hoc in ipſo authore obſervare, quod partim Græcam verſionem ſequatur dum centum annos tribuit *Arphaxado*, partim non, dum *Cainanem* omittit, nam ſic ille, Ἀρφαξὰδ δ' ἐτέκνωσι Σαλὰ ὧν ἐτῶν ρλε. *Arphaxad annos natus* 135 *genuit Sala.* Atque hoc in ejus interprete non poſſum non mirari, quod inſerſerit de ſuo *Arphaxad natus annos* 135 *genuit filium nomine Cainan. Cainan autem natus annos* 130 *genuit filium nomine Sala.* Cum de *Cainane* apud *Theophilum* non ſyllaba una. Fidus interpres.

I. Nullis argumentis mihi perſuaſeris, hæc de *Cainane* unquam fuiſſe in textu Moſis, vel in Bibliis Hebræis quibus uſi ſunt interpretes. Sed addita fuiſſe non dubito ab ipſis interpretibus. Partim quia ratio nulla reddi poteſt, quare jam exciderint ex Hebræo, & partim quia ratio probabilis reddi poteſt quare addi potuerint ab interpretibus: præſertimque quod frequentiſſimum ſit, iis addere de ſuo pro arbitrio placitoque.

Huic uni forſan poteram ſuccumbere culpæ,

Ut crederem *Cainanem* aliquando locum habuiſſe in textu *Moſis*, at neſcio quo fato aut infortunio excidiſſe: niſi quod vi-

deam centena additamenta ejuſdem farinæ in verſione Græca, quæ nec agnoſcere poteſt codex Hebræus nec tolerare quidem ratio aut probabilitas. In propriis nominibus ſolum, ſumamus exempla, quia cum proprio nomine jam nobis res eſt.

Gen. 10. 2. Ἐλισὰ *Eliſa* additur ad filios *Japheti.*
Et ver. 10. 22. Καϊνὰν *Cainan* alter ad filios *Semi.*
cap. 46. 20. Quinque nepotes ad filios Joſephi, Malach. 4. 5. *Thisbites.*
Exod. 1. 11. Ὼν *On* urbs, ad *Pithem* & *Raamſen*
2 *Sam.* 20. 18. *Dan* urbs, ad *Abel*

Ut innumera fere nomina locorum in libro *Joſuæ*, omittamus.

Jam, credamne ego, hæc unquam extitiſſe in codice Hebræo? cum *præter* rationem omnem quædam dicantur, quædam *contra* [ut ſpeciatim de *Dan* cum *Abel* juncta, & de Nepotibus *Joſephi*] atque omnia ſine ullo fundamento.

II. Nullus dubito, interpretes, quicunque tandem illi fuerint, animo non ſincero ad iſtud opus ſe accinxiſſe, atque imponere Gentilibus nullam iis fuiſſe religionem, at religionem non favere ſuis. Secundum malum hoc ergo animi temperamentum, quo ſe ad opus iſtud addixerunt, geſſerunt ſe in ipſo opere. Hinc addunt & decurtant pro libitu, oſcitanter, cæcutienter, audacter: vertunt in ſenſum ſæpiſſime alienum, non raro contrarium, aliquando nullum: & multoties, vel in patrocinium traditionum ſuarum, vel in fugam ſcandali textus ſacri, vel pro fama aut incolumitate gentis ſuæ. Quorum omnia indicia turmatim proferre, non eſſet arduum, ſi iſti operi incumberemus. Cum ultimo tantum nobis res jam eſt:

III. Nota ſatis eſt hiſtoria de tredecim locis, quæ referunt Talmudici immutata fuiſſe à lxxii. Senioribus, qui legem tranſcripſerunt [Hebraice dixerim ego] pro *Ptolemæo.* Eumerantur, *Hieroſ. Megillah*, fol. 71. 4. *Bab. Megillah*, fol. 9. 1. *Maſſecheth Sopherim*, cap. 1. Et ſparſim eorum mentio in *Bereſhith rab.* fol. 10. 3. & fol. 12. 4. & fol. 41. 4. & fol. 53. 4. & fol. 110. 1. Et *Shemoth rabba*, fol. 123. 1. ubi innuitur octodecim loca fuiſſe immutata.

Jam vero ſi Gloſſatores conſulas, docebunt illi, immutationes iſtas

istas ab iis factas esse, nonnullas ne carpererur textus sacer, nonnullas ut consuleretur famæ aut paci gentis. Ipsum idem ab iis factum esse qui Biblia verterunt, parum est dubitandum, cum res ipsa satis loquatur.

Addamus exempli ergo ad *Cainanem* nostrum, quinque animas quas addunt illi ad familiam *Jacobi*: quinque nepotes *Josepho* sistentes qui adhuc non erant in rerum natura: immo septem secundum calculum eorum in *Gen.* 46.27. Υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ οἱ γενόμενοι αὐτῷ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ ψυχαὶ ἐννέα.

Jam cui codici credendum, Græco an Hebræo? Et num quinque isti additi à Græcis, olim extiterunt in textu *Mosis*, & vel amissi sunt per incuriam librariorum, aut erasi per audaciam Judæorum? Dictet ratio atque ipsa natura. Nam si *Machir, Galead, Sutelah, Tahan, & Eden* fuerunt cum *Josepho* cum *Jacobus* cum suis descenderet in *Ægyptum* [& si non fuerint cur numerantur inter descendentes?] tum *Manasses* novennis aut ad plurimum decennis factus est avus, atque *Ephraim* octennis aut novennis. Credam ne ego *Mosen* talia retulisse? Miror potius frontem interpretum, qui tam incredibilia imponerent Gentilibus credenda.

IV. Conspicuum satis est, versionem Græcam à capite ad calcem evolventi, à diversis authoribus eam fuisse exaratam, stylo & ingenio variantibus. Ita ut doctius liber hic vertatur quam ille, elegantior sit Græca λέξις in libro hoc quam illo, propius ad Hebræa accedit versio in libro hoc quam isto: In omnibus tamen libris, Judaicum ingenium odorari est, rebus istius gentis favens & patrocinans. Tale quid deprehendere est in ipsissimis hisce rebus de quibus jam agimus, addititio *Cainane*, & additis quinque ad lxx. animas.

Ut se gens Judaica supra universum genus humanum prætulerit, & septuaginta animas descendentes cum *Jacobo* in *Ægyptum* gentemque ipsam appreciaverint supra septuaginta nationes totius mundi, si quis tam peregrinus est in rebus & libris Judaicis ut non noscat, discat ex his, vice plurium quæ possent proferri.

Zohar. in Exod. col, 22. *Septuaginta animæ Jacobi descenderunt in Ægyptum ut restaurarent septuaginta familias dispersas per confusionem linguarum. Nam æquales fuerunt istæ lxx animæ*

omnibus istis familiis totius mundi. Atque ille qui iis vellet dominari, idem facit ac si tyrannidem exerceret in universum orbem.

Targ. in Cantic. iv. 10. *Quam bonæ sunt super me dilectiones tuæ ô cœtus Israel* משבעין אומיי׳א *Magis quam lxx nationũ.*

Bemidbar rabba, fol. 210. 3. *Creavit sanctus benedictus septuaginta nationes, verum in omnibus iis non invenit complacentiam sed in solo Israele.*

Bereſh. rab. fol. 43. 2. *Dicit Abrahamus Deo, Nonne de Noacho suscitasti lxx nationes: Dicit ille Deus de te suscitabo, gentem istam de qua scribitur. Quæ gens tam magna?*

Gloſſ. *Gens illa peculiaris* יתירה על ע אומות *excellens supra lxx nationes, gens illa sancta, sicut lingua sancta excellit supra lxx linguas.*

Innumera sunt istiusmodi. Jam vero cum periculum & odium non creare Judæis non potuerit hæc arrogans doctrina & jactantia, si Ethnicis innotesceret, conceperim ego promptiùs, interpretes hic caute & callide fecisse in fugam istius periculi, per ista additamenta, quam hæc unquam fuisse in textu *Mosis*. Addendo quippe duplicem *Cainanem*, & quinque animas ad lxx in familia *Jacobi*, caveruntne Ethnici in Bibliis suis Græcis invenirent exacte lxx nationes in Gen. x. sed lxxii [aut lxxiii computato Ἐλισὰ etiam] ut ne lxx. animas descendentes in Ægyptum sed lxxv.

Pari astutia usi sunt in versione, *Deut.* xxxii. 8. unde orta iis est collatio ista inter lxx. animas *Jacobi*, & lxx. nationes. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum* למספר בני ישראל, *Juxta numerum filiorum Israel.* Sic *Moses.*

At illi Ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. *Statuit terminos gentium, juxta numerum Angelorum Dei:* Sensu à *Mose* alieniſſimo, at qui obſcurat illud unde oriri potuit aliquod periculum. Ipſo quidem adeo obſcuro, ut *Œdipo* opus ſit ad enucleandum: ſi modo non ab iis alluſum ſit ad traditionem Judaicam [quod ego ſuſpicor] de lxx. Angelis præfectis lxx. nationibus mundi.

V. Jam ergo cum tam vaga & aliena fuerit iſta verſio, quare eam tam accurate ſequuntur Evangeliſtæ & Apoſtoli, idque non raro ubi diſcrepat à fonte Hebræo?

Reſpond. I. Diſpoſuit Deus thuribula *Korachi*, *Dathanis*, & *Abi-*

Abirami ad uſum ſacrum, quia illa ordinata primitus ad uſum ſacrum. Sic & Spiritus Sanctus verſionem Græcam ad uſum ſuum, quia ea ordinata primitus ad uſum ſacrum. Non ſinceri erant animi interpretum in verſione ſua ſed tranſverſa tuentes: ſic nec ſinceri animi *Korachi*, *Dathanis*, & *Abirami* in oblatione thymiamatis ſed perverſi: At dicatum fuit thymiama eorum ab iis in uſum ſacratum, transfert ergo Deus thuribula eorum in uſum ſacrum. Sic & verſio Græca ordinata in uſum ſacratum, quia in Biblicum, ſic & reſervata à Sp. Sancto in uſum Biblicum.

II. Cum novum Teſtamentum Græce ſcriptum fuerit, tractandumque fuerit maxime à Gentilibus, congruentiſſimum fuit, imo maxime neceſſarium, codices Græcos ſequi, quibus ſolis uti potuerunt Gentiles; ut illi hiſtorias, vel allegationes ex veteri Teſtamento adductas examinantes, conſonas iis illas reperirent, & non contrariantes. Conſulentes illi, exempli gratia, Biblia ſua Græca de nominibus à *David* retro ad *Adamum*, Comperiunt illic *Cainanem filium Arphaxadi*. Si *Lucas* eum etiam non interſeruiſſet, quam prompte illi veracitatem ejus in ſuſpicionem vocare potuerunt, in reliqua Genealogiæ parte, quæ extracta eſt, ex tabulis & regeſtis non adeo notis.

III. Si fides habenda hiſtoriæ iſti de verſione Græca apud *Ariſteam* & *Joſephum*, iſti etiam particulæ habenda fides. Quam habe verbis interpretis *Ariſtæa*.

Καθὼς δὲ ἀνέγνωσαν τὰ βιβλία, &c. *Ut autem perlecta ſunt iſta volumina legis, aſtantes & ſacerdotes & interpretes, ſeniores, gubernatoreſque civitatis, & ipſi principes multitudinis ita dixerunt.* Ἐπεὶ καλῶς καὶ ὁσίως διηρμήνευται, &c. *Quoniam rectè, ſanctè, & per omnia accuratè perfecta eſt iſta interpretatio, par eſt ut omnia permaneant in ſuo habitu, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus: juſſit Demetrius illos* Διαφυλαχθῆναι καθὼς ἔθος ἐστὶν αὐτοῖς ὄντα, &c. *Ut haberent in more* [ut habent magis ad verbum] *imprecari dira illi, ſi quis immutaturus eſſet, vel addendo vel transferendo, vel auferendo. Quod rectè fecerunt ad hoc, ut perpetuò conſervarentur illa ſalva, & cum diuturnitate inviolata.*

Hæc ſi vera, res certe non levis erat Judæo, quicquam alleganti ex veteri Teſt. Græcè, Græca pedetentim non ſequi. Et mirum,

mirum eſt quemvis eorum poſt hanc, aliam verſionem auſum moliri. Anne ſub hiſce diris & imprecationibus aſtricti Amanuenſes ſacri, ſi modo aliqua rei fides? Quis dixerit? At quis hoc non dixerit. Quod hinc ſatis iis erat, quo obturarent ora Judæorum cavillantium, quod verſionem Græcam ſequentes declinaverint non raro à veritate Hebræa: in fugam ſcil. iſtius Anathematis: ſed modo hæc vera.

Object. Verum hoc de quo jam agimus [ut alia omittamus] erat pure falſum. Nam nec erat *Cainan* aliquis filius *Arphaxadi*, nec erat *Jeſus* filius *Cainanis* alicujus poſtdiluviani.

Reſp. I. Nec dici quippiam falſius quoad rem ipſam potuit, quam illud Apoſtoli, cum vocat prædicationem Evangelii Μωρίαν *Stultitiam*, 1 Cor. 1. 21. & tamen quoad communen de ea conceptum, ſtultorum hominum, nihil verius. Sic falſum eſt illud quod hic aſſeritur in ſeipſo, at verum in conceptu eorum pro quibus Evangeliſta ſcribit. Nec Spiritui Sancto in animo eſt, in animis eorum indulgere falſum, ſed non obtrudere offendiculum. *Omnia factus ſum omnibus ut lucrifaciam aliquos.*

II. Paralleliſmum aliquem cum hac re Lucæ habet illud in Vet. Teſtamento, 1 Paralip. 1. 36. *Filii Eliphaz, Teman & Omar & Zephi, & Gatam & Timnah & Amalek.* Ubi æque falſum eſt quod *Timnah* erat filius *Eliphaz*, ac quod *Kainan* erat filius *Arphaxadi*. At procul abſit, longiſſime abſit ut dicamus Spiritum Sanctum vel hic falſum eſſe, vel velle fallere, *Timnah* non erat vir, ſed fœmina, non filius *Eliphaz* ſed concubina, non frater *Amalech*, ſed mater, Gen. xxxvi. 12. Sed docet Sp. Sanctus in hac brevitate locutionis, recurrendum eſſe ad originalem hiſtoriam, unde hæc deſumuntur, atque inde ſumendam determinatam rei explicationem: Quod non raro fit ab eodem Spiritu breviter loquente in hiſtoriis bene notis. Cavillari in Evangeliſtam in hac re de qua jam agimus non poſſunt Gentiles, quia congruit ille cum eorum Bibliis: Et ſi cavillentur Judæi, vel ſi nos jam cavillemur, reſpondere habet ille ex uſitato more Spiritus Sancti Cui non infrequens eſt in repetitione hiſtoriarum ſatis notarum, variare à primitiva & Originali hiſtoria, nec fallendi animo, nec ipſo decepto, ſed pro majeſtate & authoritate ſua dictante, & lectorem referente ad primitivam hiſtoriam, unde de ſtatu rei ſtatuat & determinet, & rationem variationis inquirat. Hunc morem imitatur Stephanus, de ſepultura

ſepultura Patriarcharum loquens, Act. vii. 15, 16. Satis intellectus à Judæis auditoribus, breviter loquens in hiſtoria nota.

III. Aliud eſt dictare de ſuo, atque allegare [quod hic facit Evangeliſta] dictata ab aliis: Et cum abſque omni dubio ille ſcripſerit pro Gentilibus, utpote aſſecla exiſtens Apoſtoli Gentium, quid vetat quo minus ille alleget prout dictatum eſt in Bibliis Gentilium?

Cum Apoſtolus vocat Magos Ægyptios, *Jannen & Jambrem*, 2 Tim. 3. 9. non pro certo tradit, aut fide ſua ſpondet, nomina iſtorũ iſta fuiſſe, ſed allegat tantũ dictata & tradita ab aliis, vulgarem ſcil. traditionem gentis, *Timotheo* ſatis notam, & de qua nec ille, nec quivis alius movere vellet litem, vid. *Menacoth*, fol. 85. 1. *Targ. Jonath.* Exod. 1. *Aruch* in יוחני. Et *Numenium* apud Euſeb. in Præpar. Evang. lib. 8. cap. 8.

Cumque Apoſtolus Judas loquitur de *Michaele* contendente cum Diabolo circa defunctum *Moſen*, rem non tradit pro certa & authentica, at non poſtulandus tamen ille falſi, quia non dictat de ſuo, ſed revocat tantum ad dictata ab aliis; atque argumento utitur ad Judæos, ex ipſorum codicibus & traditionibus ſumpto.

IV. Sicut ad intelligendas Phraſiologias & ſententias in N. T. commodiſſimum, imo neceſſarium eſt, inquirere quonam modo intellectæ ſunt ab iis qui vel ipſas ab ore loquentium audierunt, vel ad quos ſunt ſcriptæ. Sic & in hac re par ſcrutamen faciamus. Cum primum in lucem prodiret hoc Evangelium inter Judæos & Gentiles, non habuerunt Gentiles cur quererentur quod Evangeliſta ſequeretur ipſorum biblia: & ſi querantur Judæi, habent quod ſibi ipſis reſpondeant. Et ſpeciatim de hoc nomine *Cainan* interſerto, ut & de lxxv animabus in familia *Jacobi*, norunt inter eos doctiores, unde ille hæc hauſerit, qua ratione iſta in Bibliis Græcis addita & quod *Lucas* fideliter hæc tranſcripſerit, & ſi aliquid ſit querela dignum, cauſentur in primos authores, non in tranſcriptorem.

V. Denique: antequam verſa ſunt Biblia in linguam Græcam pro *Ptolemæo*, ut ſupponitur, infinita erant exemplaria bibliorum in lingua Hebræa; in *Paleſtina*, *Babylonia*, *Ægypto*, ubique in omni Synagoga: & ſtupendum eſt, in omni vetuſtate, non eſſe volam aut veſtigium mentionis, vel unius codicis Hebræi qui conſonat cum verſione Græca. Habemus varias editiones Græ-

cæ

cæ verſionis ☞ lxx ut vocatur, inter ſe quamplurimum diſſidentes, at quis vidit aut audivit unquam, de codice Hebræo qui in omnibus conſenſit cum iſtarum aliqua. Senſum proprium ſecuti ſunt interpretes, & parum ſeſe aſtrinxerunt ad textum Hebræum.

CAP. IV.

Ver. 1. Ἦγετο ἐν τῷ πνεύματι.

MATTHÆO eſt Ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Quod ego intellexerim, quod raptatus fuerit à Spiritu Sancto in aera, & ſic provectus in eremum. Ratio conjecturæ varia. I. Quia ſimile legimus de *Philippo*, Act. viii. 39, 40. atque idem ſuſpicantur viri ſanctiſſimi de *Elia*, 1 Reg. xviii. 12. & 2 Reg. ii. 16. II. Veriſimile eſt Diabolum, *Jeſum* per aerem rapuiſſe, hac ipſa occaſione, ſub ſimulatione ſcil. ſe Sp. Sanctum eſſe, qui eum ſic rapuerat in eremum: Atque ſub ipſiſſima hac notione, venerationem ab eo requiſiviſſe, ac ſi ipſe foret Sp. Sanctus. III. Non prætereunda eſt methodus *Lucæ*, de ordine tentationum, diſcrepans à *Matthæo*. Tentatio in pinnaculo templi, *Matthæo* eſt ſecunda veriſſimeque: Ea *Lucæ* eſt tertia. *Et finita*, inquit ille, *omni tentatione receſſit ab eo Diabolus.* Jam vero ô *Luca*, quomodo *Chriſtus* deſcendit à pinnaculo. Refers tu illum eo raptatum à Diabolo, atque ibi ſecundum methodum tuam, finita eſt tentatio, quomodo quæſo Chriſtus deſcendit? Adverte quid ſequatur Καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Et reverſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam:* Et conjunge hiſtorias ut conjunguntur à *Luca*: Stitit eum Diabolus in pinnaculo templi, atque urget ut ſe præcipitet, cum vero non perſuaderet, relinquit eum ſtantem in pinnaculo, & finita eſt omnis tentatio. Et *Jeſus* per virtutem Spiritus rediit in *Galilæam*: Nonne licet hinc conjectare, docere velle *Lucam*, Chriſtum finita tentatione, à Spiritu Sancto per aera raptum fuiſſe in *Galilæam*, prout raptus ab eo fuerat in eremum, & à Diabolo

Diabolo ſub tali prætextu ad pinnaculum, & montem excelſum?

Ver. 2. Ἡμέρας τεσσαράκοντα, &c.

Trinam quadrageſimam jejunio, peregit *Moſes*, agens cum Deo: Sat *Chriſto* quod unam, colluctans interim cum Diabolo. Primam *Moſis* habes, *Exod.* xxiv. 18. Secundam poſt exciſum vitulum aureum, *Deut.* x. 10. Tertiam, poſt delatas novas tabulas, *Exod.* xxxiv. 28. Et circa ipſiſſimum anni tempus quo ultimam ſuam finivit *Moſes*, ſuam inchoat Chriſtus, circa medium ſcil. menſis *Tiſri*, & quouſque eam continuaverit in menſe *Marheſhvan*, non difficile eſt computare.

Ver. 5. Ἐν στιγμῇ χρόνου.

ברגע. *In momento*, ut Vulg. Jam vero quantum ſit momentum, ſi alicujus ſit momenti, diſce à magiſtris.

Beracoth, fol. 7. 1. כמה רגע. *Quantum eſt momentum?* אחד רבוא ושמונת אלפים ושמונה מאות ופח בשעה מחמשת. *Eſt quinquagies octies milleſima octingenteſima octogeſima octava pars horæ.* Acutiſſime calculatum.

Ver. 13. Ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ.

Senſerat ac jam expertus fuerat Diabolus, fruſtra eſſe tentare *Chriſtum*, ſuggeſtionibus, atque illecebris, eo modo quo tentat homines. Expectat ergo tempus opportunum quo poſſit eum aggredi alio modo: quod & facit tandem & per ſeipſum & per inſtrumenta ſua. Et cum inſtaret jam tempus, rediretque Diabolus ad opus ſuum, mentionem habes de Satana introeunte in *Judam*, & quod *jam venit Princeps hujus mundi*, Johan. xiv. 30.

Ver. 16. Ἀνέστη ἀναγνῶναι.

Ut meliùs de hac actione Chriſti judicemus, obſervemus aliquantulum conſuetudinem Synagogæ.

I. Legerunt ſtantes.

Piske הראש & *Rabbenu Aſher* in Megil. cap. 3. *Non legunt in lege niſi ſtantes. Imo non licet legenti, alicui rei inniti. Unde autem tenetur legens ſtare? Dicit Rabh Abhu, Quia ſcriptura dicit. Tu autem mecum ſta. Atque non eſt alicui rei innitendum ſicut eſt in Hieroſ. R. Samuel bar Iſaac ingreſſus Synagogam, quendam interpretantem comperit, atque innitentem columnæ. Cui ille, Hoc tibi non licet. Nam ſicut data eſt lex cum reverentia, ſic à nobis tractanda eſt cum reverentia.*

Prætulerunt quidem legem Prophetis, & legem & Prophetas Hagiographis [vid. *Gloſſ.* in *Schab.* 115. 1.] & tamen honorem conceſſerunt Prophetis, ut non legerentur niſi à ſtante. Unde ſingulare eſt quod dicunt de libro *Eſtheræ.*

Megil. fol. 21. 1. *Legat quis librum Eſtheræ, vel ſtans vel ſedens. At non ſic de lege.*

Chriſtus in hoc ſequutus eſt morem Synagogæ, quod legens ſtetit, & ſedit docens.

II. Ille qui legebat in Prophetis, vocabatur מפטיר *Maphtir*, atque ad munus illud deſignabatur ab Archiſynagogo.

Kidduſhin. fol. 76. 2. *Rabh. Bibai vir magnus fuit* לעיין במילי שמיא *ad curandum de rebus Dei. Et Mar vir magnus fuit* לעיין במילי מתא *Ad curandum de rebus oppidi.*

Gloſſ. *De rebus Dei, id eſt, de collectoribus eleemoſynæ, atque ejus diſtributione.* וכרר מהרנמנין ומפטירין, *Et de ordine interpretum, atque legentium in Prophetis.*

Probabile eſt Chriſtum ſe jam obtuliſſe pro *Maphtir* vel ut lectorem in Prophetis, ut concionaretur etiam ſuper quod lectum. Non tam deſignatum quidem ab Archiſynagogo, quam approbatum cum ſeſe offerret. Nam audierant *Nazarethani* de miraculis aliquibus ab eo editis *Capernaumi*, ver. 23. & non mirum ſi cuperent etiam aliquid ab eo audîre, talibus miraculis dignum.

III. *Piske* הראש in *Megil.* Artic. 22. *Legens in Propheta ne legat minus, quam verſiculos viginti unum.*

Heic non videtur Chriſtus mori ſynagogæ conformis, nam non legit niſi verſiculos binos: Et tamen non egit niſi quod licitum atque uſitatum in ſynagoga. Et obſervandum eſt illud in

Maſſecheth ſopherim, c. 12. אם היה בשבת תורגמן או דרוש *Si fuerit Sabbato Interpres, vel concio, legunt in Propheta verſiculos tres aut quinq; aut ſeptem, & non ſunt ſolliciti de verſiculis viginti uno.*

Si

Si fuerit sabbato Interpres vel interpretatio, Nonne semper aderat unoquoque Sabbato interpres? & nec *Moses* nec Prophetæ lecti sunt nisi astante interprete, ut affatim patet ex traditionibus & regulis circa interpretem.

Verba ergo אם היה בשבת מתורגמן או דרוש Ego in hunc sensum intellexerim. Si vel interpres in interpretatione sua exspatietur in concionem, vel alius quis concionetur:

Nam interpres aliquando commentatus est, & concionatus super illud quod lectum. Et fuit forte Christus jam & lector & proprius interpres.

Beresh, rab. sect. 80. *Jose Maonita interpretatus est in Synagoga* τῆς *Maon. Audite hoc ô Sacerdotes, Ausculta ô domus Israel, atque attende ô domus regis, Hos*, iv. 1. *Dixit. Arrepturus est Sanctus Benedictus sacerdotes, & staturus eos in judicio, illis dicendo: Quare non laborastis in lege.* Nonne *usum fructum habuistis viginti quatuor portionum cedentium Sacerdotibus? Dicunt ei non dederunt nobis quidquam. Ausculta ô domus Israel quare non dedistis sacerdotibus viginta quatuor portiones, quas ego præcepi in lege. Respondent illi, Propter illos qui sunt de domo Principis qui rapiunt totum. Attende ô domus regis quia vobis est judicium. Quia vobis dixi hæc erit norma circa sacerdotes. Vobis ergo & super vos versa est norma judicii. Audiit hæc Rabbi* [*princeps*] *atq; est indignatus.*

Massech. Sopherim, cap. 13. *Posthæc rex Ahashuerus magnificavit Hamanem filium Hammedatha.*

Rabh Joseph interpretatus est בתר פתנמיא האילין רבי מלכא *Post hæc rex magnificavit Hamanem Hammedatha Agagæum, filium Cuzæ, filii Aphletus, filii Dius, filii Diusot. filii Paros, filii Nidan, filii Baalkan, &c. vid, loc. & confer cum Targ. in Esther* cap. v. 1.

IV. *Megil.* fol. 24. 1. *Lector in Propheta* פורס על שמע *dilatat super Shemaa* [modum & formam rei habes in *Massech. Soph.* cap. 14.] *transit coram arca atque elevat manus suas*, ad bene dicendum *quod si puer sit pater aut magister ejus, hæc præstant ejus vice*, &c. At docet glossa, hoc *de ordinario lectore Prophetæ* esse intelligendum, מי שרגיל להפטיר At erat *Christus* jam lector extraordinarius. Legit tamen, quod non ab eo in alia Synagoga factum, nam heic erat in propria, & legit ut membrum istius Synagogæ.

Ver. 17. Καὶ ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐου.

I. Minister ecclesiæ erat custos librorum sacrorum, atque eos protulit legendos, cum conventum erat in Synagoga.

Joma, fol. 68. 2. *Venit Pontifex maximus ad legendum* [die expiationis] חזן הכנסת *Minister Synagogæ accipit librum legis & dat Archisynagogo*, &c. Ubi Gloss. חזן הכנסת שמש *Chazan Synagogæ, id est* ὑπηρέτης *Minister*. Ab eo librum accipit Salvator, atque ei reddit.

II. An librum *Esaiæ* solum an compactum cum aliis Prophetis acceperit si quæratur, non facilè est determinare. Conjice ex his quæ vulgo obtinuerunt.

Bava batbra, fol. 13. 2. *Tradunt Rabbini, Compingat quis legem & Prophetas atque Hagiographa in volumen unum, verba sunt R. Meir. R. Judah autem dicit, Legem per seipsam vel seorsim librum Prophetarum per seipsum, & librum Hagiographorum per seipsum. Et sapientes dicunt, unumquemque per seipsum.* vid. *Massech. Sopherim*, cap. 3.

At quærere est, Num singularem Prophetam per seipsum? An *Esaiam* solum? An *Hieremiam* solum, &c? Affirmativum probabile: nam sic diviserunt *legem* aliquando in singulas *Quintanas*.

Omnibus notum est, quonam titulo insigniantur libri legis in fronte Bibliorum Hebræorum, viz. חמשה חומשי תורה. *Quinque quintanæ Legis. Genesis* est חומש ראשון *Quintana prima. Exodus* est חומש שני *Quintana secunda*, & sic de cæteris. De quarum quintanarum separatione in singularia volumina vid. *Massech Sopherim*, loco jam citato.

Megill. fol. 27. 1, גוללין ספר תורה במטפחת חומשין. *Involvunt librum legis in linteo quintanarum, & quintanas in linteo Prophetarum & Hagiographorum. At non Prophetas & Hagiographa in linteo quintanarum, nec quintanas in linteo legis.*

Et paulo post. *Reponunt legem* על חומשין *Super quintanas, & quintanas super Prophetas & Hagiographa. At non Prophetas & Hagiographa super quintanas, nec quintanas super legem:* Id est: Non aliquam quintanam singularem super omnes quintanas compactas in unum. Sic Gloss. *Quintana, id est, liber legis in quo est tantum quintana una.*

Cum

Cum ergo in diviſos codices aliquando hoc modo diſtribueretur liber legis, æque judicare licet, ita diſtributos fuiſſe etiam majores Prophetas, duodecim minoribus in unum volumen compactis. Hinc forſan illud in

Megill. fol. 24. 1. *Lector Prophetæ, tranſilire potuit à textu ad textum,* ואין מרלגין מנביא לנביא *At non tranſilire licuit à Prophetâ ad Prophetam,* ובנביא של שנים עשר מרלג *verum in duodecim Prophetis licuit.* Nam aderant ei in manu omnes illi in unum volumen compacti: At non ſic majores Prophetæ.

Detur ergo mihi venia conjectandi, quod iſto ſabbato quo hæc tranſigebantur in Synagoga *Nazarethana*, lectio iſta quæ legenda erat in Prophetis, erat juxta rubricam in Propheta *Eſaia*, atque ejus rei ergo miniſter *Chriſto* lecturo porrigit iſtum librum.

Καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον ἐῦρε τὸν τόπον.

Lingua Talmudica ego ſic reddiderim גולל ית ספרא אשכח ית הדכתיב vel גולל את הספר Hebraicè, At quomodo reddes, inquies Πτύξας τὸ βιβλίον; ver. 20. Ipſiſſimis iiſdem verbis גולל את הספר.

Joma cap. 7. hal. 1. Summus Pontifex poſt lectionem legis גלל ספר תורה ומניחו בחיקו Πτύξας τὸ βιβλίον τῦ νόμε *reponit eum in ſuo ſinu, & tamen*

Fol. 70. 1. dicitur אין גוללין ספר תורה בציבור [quod non reddendum *non complicant*, ſed] *non evolvunt librum legis in Synagoga.*

Maſſech. Sopher. cap. 11. גוללין נביא ברבים *Evolvunt Prophetam in Congregatione, at non evolvunt legem in Congregatione.* Id eſtut Gloſſ. in *Megill.* fol. 32. 1. גולל ספר מענין לענין *Evolvunt ab uno loco aut periocha, ad periocham aliam alio in loco.* Sic in Prophetis factum, at non in lege.

Atque hac ratione permiſſum eſt lectori tranſilire in Propheta, à loco in locum, quia permiſſum eſt evolvere Prophetam vel ſingularem, vel duodecim in Synagoga, at non ſic de lege. Et quærunt

Megill. fol. 24. 1. עד כמה הוא מרלג. *Quonam uſque tranſilit?*

tranſilit? כרי שלא יפסוק התורגמן. *Ita ut non deſinat interpres.*

Gloſſ. *Ne tranſiliat à loco quem legit, niſi ut poſſit* לגולי׳הספר *evolvere librum, ut legere poſſit locum ad quem tranſilit cum deſinit interpres.*

Et quoniam non licuit eo modo evolvere legem in Synagoga, *Calendis menſis Tebeth, ſi modo foret Sabbatum, attulerunt tres libros legis & legerunt, in uno Pariocham pro Sabbato; in alio pro Calendis, in alio pro Eucæniis, Joma,* fol. 70. 1.

Verba ergo Evangeliſtæ Ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, mihi non nudè ſonant *Explicuit* vel *aperuit librum*, ſed apertum evolvit à folio ad folium, uſque dum locum invenire, quem ſibi propoſuit legendum & tractandum. Qui quamvis non foret ſectio, per rubricam iſti diei ſtatuta, parum tamen ceſſit Chriſtus à more Synagogæ, quæ lectorem permiſit tranſilire.

Ver. 23. Ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν.

Dicetis mihi hoc Proverbium, Medice cura teipſum. Hieroſolymitanè ſic protulerim: אסיא אסי אתון מתילין לי מתלא דין יתך.

Bereſh. rab. Sect. 23. & *Tanchum*, fol. 4. 2. אסיח אסי יח חגרתך *Medice cura propriam claudicationem.*

Ver. 25. Ὅτι ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἐτη τρία, καὶ μῆνας ἕξ

Celebratur admodum & in literis ſacris, & Judaicis, numerus iſte trium annorum & dimidii, de qua re fuſius diximus alio in loco. Et quamvis alluſive tantum adhibeatur iſte numerus non raro, & apud has & illas, hoc tamen in loco, ſecundum literam ſumendum eſſe, & juſto calculo, nulla occurrit ratio cur dubitemus, quamvis ad æquam computationem eum exigere, non exiguæ ſit difficultatis.

Quod per triennium duraverit impluvium patet, 1 Reg. xvii, &c. Aſt unde adjectio ſex menſium?

Dixit Elias Achabo vivit Dominus Deus Iſrael in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, aut pluvia niſi juxta oris mei verba אם יהיה השנים האלה *Includunt hac verba*

tres

tres annos ad minimum, quia dicit שנים *non* שנתים.

Et cap. xviii. *Factum est verbum Domini ad Eliam anno tertio, Vade & ostende te Achabo, & dabo pluviam super terram. Anno tertio*, ubinam ergo sex menses?

I. Loquuntur Christus, Apostolusque ejus *Jacobus*, cap. v. 17. cum addunt sex menses, absque dubio secundum notam & receceptam opinionem gentis. Quod & alias fit nonnunquam in rebus historicis in N. Testamento.

Act. vii. 16. Ossa duodecim Patriarcharum tralata fuisse ex *Ægypto* & sepulta in *Sichemo*, cum apud paginam sacram fiat mentio tantum de ossibus & sepultura Josephi, effatur *Stephanus* secundum vulgarem opinionem gentis vid. *Hieros. Sotah.* fol. 18. 3. & *Bab. Bava kama*, fol. 92. 1.

Item ver. 30. dicit quod *Moses* 40. annorum erat cum fugeret in terram *Midianiticam*, quodque illic commoratus est 40 annos alios, cum de hac circumstantia sileat ipse *Moses*: loquitur cum consensu gentis, Vid. *Beresh. rabb.* sect. 100.

II. Nec *Christus* nec *Jacobus* dicunt quod *Elias* clausit cœlum ad tres annos & sex menses, sed *Christus* quod *clausum erat cœlum in diebus Eliæ annis tribus & mensibus sex:* Et *Jacobus, quod oravit Elias ne plueret, & non pluit super terram per tres annos & sex menses.*

Liceat mihi ergo sic distinguere: Quod *Elias* clausit cœlum per triennium ne essent pluviæ: ut apud librum Regum & quod non erant pluviæ per triennium & sex menses: ut salvator, & Jacobus.

III. Ad nodum hunc enodandum usui alicui esse possunt verba *Menandri* apud *Josephum.*

Antiq. lib. 8. cap. 7. Μέμνηται δὲ τῆς ἀνομβρίας ταύτης καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Ἰθοβάλου τοῦ Τυρίων βασιλέως πράξεσιν. Ἀβροχία τε ἐπ' αὐτοῦ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ ὑπερβερεταίου μηνὸς ἕως τοῦ ἐχομένου ἔτους ὑπερβερεταίου.

Hujus impluvii mentionem habet Menander in Actis Ithobali regis Tyriorum sic dicens, Impluvium sub eo erat à mense Octobri ad Octobrim anni sequentis.

Spatium durationis impluvii decurtat quidem, dum continuationem ejus facit unius tantum anni, ast clavem aliquam nobis porrigit, dum initium ejus statuit in *Octob.* aditum aliquem nobis præbentem in interiora.

IV. Re-

IV. Recognoſce diſtinctionem iſtam de *Pluvia prima* & Pluvia ſerotina יורה ומלקוש. Deut. xi. 14. Hierem. v. 24. Joel II. 22.

Taanith. fol. 6. 1. *Tradunt Rabbini* יורה במרחש ומלקוש בניסן *Pluvia prima eſt in menſe Marheſhvan, ſerotina in Niſan.*

Targum in Joel II. 22. *Qui dimiſit vobis pluviam primitivam tempeſtivè* ולקישא בירח ניסן *& ſerotinam in menſe Niſan.*

Vid. etiam quæ attulimus ad cap. II. ver. 8.

Diſſidet aliquantum R. Sol. in *Deut.* xi. Sed non ſolliciti ſumus de ordine, fuerit ne prima in *Marheſhvan* an in *Niſan.* Illud quod in rem noſtram facit hoc eſt: quod ſtatis his temporibus fuerint pluviæ: aſt per reliquum anni ſpatium, ut plurimum impluvium.

V. Sex menſes iſti nominati à ſalvatore & *Jacobo*, ſtatuendi ſunt ante initium triennii, & non aſſuendi ad ejus finem, quod ex hoc plane patet quod dicatur *Anno tertio*, Eliam oſtendiſſe ſe Achabo, &c.

In initio ergo iſtius triennii credimus *Eliam* clauſiſſe cœlum, appropinquante jam tempore illo quo ſolitæ ſunt pluviæ deſcendere menſe *Marheſhvan*, & referaſſe cœlum poſt elapſum triennium eodem menſe. Nec inane eſt quod dicit *Menander* Ἀϛεγχίαν, initium ſumſiſſe à menſe *Octobri* qui ex parte reſpondet מר *Marheſhvan*: nam conſule verba iſta, cap. xviii. *Dicit Achab ad Obadiam vade in terram ad univerſos fontes aquarum & ad cunctas valles, ſi forſan poſſimus invenire herbam & ſalvare equos*, &c. Nemo dixerit inquiſitionem hanc factam fuiſſe hyeme, ſed æſtate: non ante vel in menſe *Niſan* cum deſcendere ſolitæ ſunt pluviæ, nam quam parum, quam nihil fœni aut graminis tunc temporis expectandum: ſed cum proceſſerat annus jam erga æſtatem, tum oportunum & tempeſtivum erat de gramine & fœno inquirere. Computa ergo tempus peragrationis *Achabi* & *Obadiæ* in tali inquiſitione: tempus ex quo *Elia* occurrente *Obadia*, in colloquium ejus venit *Achabus*: tempus quo collecti ſunt Iſraelitæ & Prophetæ *Baal* ad montem *Carmel*: quo ibi ab Elia *ſacrificatum*, & occiſi *Baaliſtæ*, & certe probabilius referationem cœli & deſcenſum pluviarum, non ulli anni tempori aſſignaveris, quam

quam ſolito iſti & ordinario menſi *Marheſhvan*. Tribus ab hinc annis, cum iſto menſe expectatæ eſſent pluviæ ſecundum communem anni temperiem, clauſit *Elias* cœlum, ut non deſcenderent, & jam exſpirante triennio, cum rediret illud tempus deſcenſionis, reſerat ille cœlum & deſcendunt.

VI. Jam ergo à *Marheſhvan*, menſe iſto, quo ille cœlum ſeravit, retrogredere ad menſem *Niſan* præcedentem, & ſex menſes iſti interlabentes, erant etiam abſque pluvia ſecundum conſuetum & ordinarium morem anni & climatis. Menſe *Niſan* pluit: reliquum anni ad *Marheſhvan* erat impluvium: Menſe *Marheſhvan* expectatæ erant pluviæ, ſed *Elias* clauſerat cœlum, clauſitque per triennium exinde inſequens. Ita ut quamvis ille non clauſerit niſi per tres annos, non forent tamen pluviæ per tres annos & ſex menſes.

Ver. 27. Νεεμὰν ὁ Σύρος.

Pupugerunt Nazarethanos hæc exempla, duplici aculeo.

I. Quod vilifactos ſeſe arbitrarentur his exemplis. Iſta re præſertim obſervata, cujus cauſa ſalvator hæc adducit. Tu miracula edidiſti in *Capernaum*, præſta & aliqua etiam hic in propria urbe. Non. Vos indigni, ut Iſrael olim indignus Prophetis *Elia* & *Elizæo*, qui ergo miſſi ad Gentiles.

II. Quòd planè per hæc exempla innueret vocationem gentium, qua nihil auribus Judæorum ingratum magis. *Elias* miſſus ad Ethnicam, & Ethnicus miſſus ad *Elizæum*: ac utrique ab Ethniciſmo converſi ad veram religionem. Verba ergo *Naamanis*, ver. 17, 18. ego ſic reddiderim. *Non ultra faciet ſervus tuus holocauſtum aut ſacrificium Diis alienis, ſed Jehovæ. Et hac de re ignoſcat Dominus ſervo ſuo* [ſcil. de præterita mea idololatria] *nempe quod cum intraret dominus meus in domum Rimmon & inniteretur ille ſuper manum meam, ego etiam adoravi in domo Rimmon, pro adoratione mea in domo Rimmon ignoſcat quæſo Dominus ſervo tuo de hac re.*

Ver. 29. Εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν.

At quanam ô Nazarethani authoritate? quonam judicio? Erat quidem inter eos conſeſſus judicialis trium virorum, quia erat ibi Synagoga, ſed penes conſeſſum talem non erat decernere de capite. Et quæri poteſt an licentia iſta quæ conceſſa eſt פנאין *Zelotis*, huc etiam extenderet, *Sanhedr.* fol. 81. 2. *Qui furatur ſcutellas ſacras, & maledicit per divinatorem* [i. e. maledicit Deo in nomine Idoli] *Et coit cum Ethnica* [palam ut *Zimri*, Num. xxv. 6.] קנאין פוגעין בו *Zelotæ interficiunt eum. Et ſacerdotem qui miniſtrat in immunditia, fratres ejus ſacerdotes eum fuſtibus excerebrant:* At num ad omnes, & ad omnia pertinuit licentia iſta Zelotica? Cum *Nathaniel* dicit, *Numquid boni quidquam ex Nazareth?* non videtur tam parvitatem oppidi reſpexiſſe, quam pravitatem oppidanorum.

Ver. 33. Ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου.

Inuſitatior Phraſiologia. Indigitat forte Spiritum Pythonicum aut Spiritum Necromanticum, nam ut inter hos diſtinguatur à magiſtris, vid. *Rambam* in *Sanhedr.* cap. 7. hal. 4. Uterque, quamvis diverſo modo, invitavit atque ambivit afflatum Diaboli. De qua re fuſius dicturi ſumus ad cap. xiii. 11.

CAP.

CAP. V.

Ver. 1. Τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ λίμνην.

NAM docuerunt etiam extra Synagogam, & *Beth Midrash*, in viis & plateis.

Pesachin, fol. 26. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai docuit in platea, ante montem templi per totum diem.* vid. Gloss. ibi.

Erubbin, fol. 29. 1. *Ben Azzai docuit in plateis Tiberiadis.*

Hanc consuetudinem *Rabbi Judah* prohibuit, hoc Canone.

Moed Katon. fol. 16. 1. *Ne magistri discipulos suos doceant in plateis.* Et *R. Chaijam*, ideo quod fratris sui filios doceret in platea, percussit correptione.

Et tamen de eodem *Rabbi Judah* refertur.

Beresh. Rabba, sect. 33. רבינו הוה לעי באוריתא *Rabbi Judah sedit laborans in lege* [κοπιῶν ἐν λόγῳ καὶ διδαχῇ, ut 1 Tim. v.] *coram Synagoga Babylonica in Zippore: transiit coram eo juvencus ductus ad lanienam & mugiit*: quem cum ille à jugulatione non liberaret, ictus est dolore dentium per tredecim annos.

Ver. 5. Δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες.

Talmudice טוחינן כול ליליא. Sic
Bava Maria. fol. 83. 10. שרחינן כיל יומא

Ver. 7. Τοῖς μετόχοις.

לשותפום: Si modo in tali comparticipatione consociati fuerunt, de quali loquitur *Maymon.* in שלוחין ושותפין, cap. 4, &c.

Ver. 12. Ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλήρης λέπρας.

Kelim, cap. 1. hal. 7. *Civitates cinctæ muris, ſunt ſanctiores quam terra Iſraelitica in genere* שמשלחין מתוכן המצורעים *Quia ex iis ejiciunt leproſos.* Quod intelligendum, magiſtris interpretibus, de civitatibus cinctis mœnibus à diebus *Joſuæ*. Si civitas hæc de qua Evangeliſta, talis foret, non tolerandus in ea erat leproſus, niſi quem ab immunditia ſua abſolverat ſacerdos. Nam remanſit lepra poſt iſtam abſolutionem, & non ſanatus eſt æger ſed redditus eccleſiæ. Quod homo hic dicitur fuiſſe πλήρης λέπρας, meritò conferendum eſt cum *Lev.* xiii. 12. 13.

Fuerit antea purificatus à ſacerdote necne, ſanatum mittit Chriſtus ad Sacerdotem, ut offerat quod pro *mundato* leproſo debitum. Nam num lex Moſaica *ſanatum* ſupponit? Quæro an medicabilis omnino fuerit iſta ægritudo, niſi per miraculum. Atque ideo miſſus eſt hic homo ad templum, ut oſtenderet ſe ſacerdoti & offeret εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, ver. 14. id eſt, ut teſtaretur, ſanatam jam eſſe lepram, morbum immedicabilem, per miraculum, ut olim in *Miriama* & *Naamane*: ideoque magnum Prophetam exortum eſſe in Iſraele.

Ver. 17. Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν.

Talmudicis חד יומא : Sic & חדא זמנא *quodam tempore.*

Ver. 27. Ἐπὶ τὸ τελώνιον.

בבית מכס : *Succah.* fol. 30. 1. *Res hæc, ſimilis eſt regi carnis & ſanguinis prætereunti* בבית המכס *juxta telonium. Dicit ſervis ſuis Solvite vectigal Publicanis.*

Ver. 39. Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστι.

Beracoth. fol. 51. 1. לא מיושן יפה הוא *Nonne vetus melius eſt?* Gloſſ. יין מיושן של שלש שנים *Vinum vetus : id eſt trium annorum.*

Schabb. fol. 129. 1. חמרא בת תלתא טרפי. *Vinum trium foliorum.*

Gloſſ. *Trium annorum : quippe quod ex quo vitis produxit iſtud vinum, ter protruſit nova folia.*

CAP.

CAP. VI.

Ver. 1. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ.

DE hoc diximus ad *Matt.* xii. Adjiciamus pauca. Controverſum eſt inter magiſtros Judæorum, & *Baithuſeos*, de interpretatione verborum iſtorum circa oblationem manipuli primitialis ממחרת השבת *Craſtina Sabbati*, Levit. xxiii. 10, 11.

Gloſſ. in *Roſh haſhanah*, fol. 22. 2. *Invotis erat Baithuſeis, ut dies primus Paſchatis eſſet Sabbato, ut oblatio manipuli incideret in primum diem hebdomadis: atque ut feſtum Pentecoſtes incideret etiam in primum hebdomadis. Nam illi interpretati ſunt verba iſta* יניפנו ממחרת השבת *Agitabit manipulum ſacerdos craſtina Sabbati, ac ſi ſenſus eorum eſſet, Craſtina Sabbati creationis.*

Contra hoc diſputant Rabbini, atque unanimiter, illudque verè, aſtruunt per *Craſtinum Sabbati* intelligendum eſſe *Craſtinum diei Sabbatici*, vel diei primi feſti. Sic *Targ. Siphra. Solom. Menahem*, &c. Sic etiam verſio Græca. Argumenta eorum videre licet in *Siphra*, & *Peſikta* & *Menacoth.* fol. 65. 1. Præcipuum eſt illud *Rabban. Jochananis* diſputantis cam *Baithuſæo* loco noviſſime citato. *Scriptura una*, inquit ille, *dicit Numerabitis quinquaginta dies* [à die ſcil. quo oblatus eſt manipulus ad Penteconſten.] Levit. xxiii. 16. *Altera dicit, Numerabitis ſeptem Sabbata*, Lev. xxiii. 14. Deu. xvi. 9. כאן ביט שחל להיות בשבת *Hoc, ſi dies feſti primus incidat in Sabbatum* כאן ביט שחל לחיות באמצע שבת *Illud, ſi dies feſti primus incidat in medium hebdomadis.*

Hoc ſibi vult. Si dies Primus ſeptidui Paſchalis incideret in Sabbatum, tum manipulo poſtridie ablato, Pentecoſte incidit in diem proximum poſt ſeptimum Sabbatum: Si vero dies iſte primus incideret in medium ſeptimanæ, tum à manipulo poſtridie oblato, non numeranda ſeptem Sabbata, ſed quinquaginta dies.

Exempli

Exempli gratia. Supponatur comeſum agnum feria ſeptimanæ Judaicæ tertia, nobis die *Martis*. Dies *Mercurii* erat dies feſti primus, & die *Jovis* oblatus eſt manipulus: tum die *Jovis* etiam, numeratis quinquaginta diebus erat Pentecoſte. Intercurrebant hic ſeptem Sabbata, & poſt ultimum ſabbatum quatuor dies ante Pentecoſten: ubi numeratio per Sabbata, ſpatium decurtat, at numeratio per quinquaginta dies, rem ſtatuit abſque ſcrupulo. Et hæc duo ſimul concludit. I. Oblationem manipuli non conſtringi ad diem poſt Sabbatum, ſed ad diem poſt Sabbaticum primum feſti. II. Diem Pentecoſtes non aſtringi ad primum Hebdomadis, quod voluerunt *Baithuſæi*, ſed incidere potuiſſe quovis die Septimanæ.

Quanam ratione conati ſunt *Baithuſæi* diem Pentecoſtes ſemper reducere ad craſtinum Sabbati, vel primam Hebdomadis, non promptum eſt definire.

Ille forſan qui cum Rabban Jochanane diſputat, aliquid de hac re innuit *Moſes magiſter noſter*, inquit, *amavit Iſraelem & novit* שעצרת יום א *quod Pentecoſte foret tantum dies unus, inſtituit ergo eam Craſtino Sabbati, ut Iſrael deliciaretur duobus diebus ſimul.*

Quicquid erat, male certe intellexerunt Phraſin ממחרת השבת circa oblationem manipuli, de *Craſtino Sabbati*, cum intelligendum ſit de *craſtino diei Sabbatici*. Et ſic Græc. Καὶ ἀνόισει τὸ δρέγμα ἔναντι κυρίου δεκτὸν ὑμῖν τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης.

Exemplum ſumamus de hac re in ultimo Paſchate ſalvatoris. Comeſus eſt agnus Paſchalis feria Judæorum quinta, nobis die *Jovis*. Dies feſti primus, illis erat feria ſexta, nobis dies *Veneris*, quo crucifixus eſt Chriſtus. Inclinante in noctem die iſto [circa tempus quo ille eſt ſepultus] prodierunt deputati à Synedrio ad metendum manipulum: Et craſtino, qui erat Sabbatum, & dum Salvator dormiret in ſepulchro, manipulus iſte eſt oblatus.

Dies ergo iſta erat Δευτέρα, & ab ea numerarunt ſeptimanas ad Pentecoſten. Atque intercurrentia Sabbata denominabantur ab iſta Δευτέρα· Primum Δευτεροπρώτην· Secundum Δευτερο-δευτέραν, & ſic de cæteris.

Rambam in Adaioth, fol. 22. 1. *Primus dies Paſchatis vocatur Sabbatũ & numerarunt poſt illud* שבע שבתות המיוחסין אליו *Septem Sabbata cognatione relata ad illud.* Nota illud המיוחסין.

Ver.

Ver. 12. Ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ.

Confer hanc Phraſeologiam cum illo quod dicitur.

Beracoth, fol. 7. 1. *Dicit R. Jochanan nomine R. Joſe* מניין שהבה מתפלל *Unde conſtat quod Deus Sanct. ben. orat? Inde quod dicitur, Adducam eos ad montem meum Sanctum & Lætificabo eos* בנית תפלתי *In domo orationis meæ.* תפלתם לא נאמר Orationis eorum, *non dicitur, ſed* תפלתי Orationis meæ. *Unde ſequitur quod Deus Sanct. ben. orat. Et quomodo orat? Dicit Rabh Zutra bar Tobijah Dicit Rabh. Eſto bene placitum meum, ut ſuperent miſericordiæ meæ iram meam.*

Bereſh. rabb. fol. 63. 3. עשה לו הקבה כוכה והיה מתפלל בתוכה *Fecit ſibi Deus Sanct. ben. tabernaculum atque oravit in eo: Sicut dicitur, Tabernaculum ejus in Salem, atque habitatio in Sion. Et quidnam dicit orans?* יהי רצון שאראה כבנין ביתי *Sit beneplacitum meum, ut videam domum meam ædificatam.*

Ridemus fabulas, & tamen ſententiam gentis non obſervare non poſſumus, & conferre cum Phraſeologia noſtra, προσευχὴ τοῦ Θεοῦ, volunt illi Deum orare, non ſupplicatorie ſed authoritativè: *Sic eſto.* Sic & Chriſtus aliquando. Πατὴρ θέλω, Johan. xvii. 24. an ita ſit Phraſeologia hoc in loco interpretanda non decernimus.

Ver. 38. Μέτρον καλὸν πεπεσσμένον.

1. Vid. *Menacoth*, fol. 87. de מדות נגרשות ומחוקות *Menſuris accumulatis & abraſis.*

Rabbi Meir dicit: Dicitur עשרון עשרון לכבש האחד *Decima, Decima unicuique agno. Unde innuitur quod duæ* עשרונות *Decimariæ erant in templo.* אחד גרוש *una accumulata.* ואחד מחוק *Et altera abraſa. Accumulata, qua menſurarunt omnia ſacra frumentaria* [כל המנחות] *Abraſa qua menſurarunt molas, vel panes ſummi Pontificis.*

Ibid. fol. 90. 1. *Omnes menſuræ in templo erant accumulatæ præter iſtam ſummi Pontificis.*

Ratioque

Ratioque quare illa etiam non accumulata, redditura gloſſ. viz. *Quia oportuit eum dividere ſimilam in duas decimas: ſi ergo menſura foret accumulata, dum eam huc illuc moveret, ut ſic divideret, diffluereet aliquid ſimilæ ad terram.*

Joma, fol. 48. 1. *Rabh Papa interrogavit*: מלא חפניו *Plenitudo pugillorum ſacerdotis, de qua eſt mentio* מחנקות או גרגשות *num eſt menſuris abraſis, vel accumulatis? Dicit R. Aba,* ר׳ *Rabh Iſhai, Plenitudo pugillorum de qua eſt ſermo non eſt menſuris abraſis, nec accumulatis* אלא מפופות *ſed ſupernatantibus.*

II. Nemo non obſervaverit Evangeliſtam noſtrum in repetitione ſermonis hujus in monte, plurima omittere quæ ſunt apud *Matthæum*. Illa nimirum quæ magis peculiariter reſpiciunt, vel dicta & gloſſas ſcribarum & Phariſæorum circa homicidium, juramenta, divortia, &c. vel eorum mores in orationibus, eleemoſynis, jejuniis, &c. Pro gentibus ſcribens omittit iſta Judaica.

CAP.

CAP. VII.

Ver. 2. Ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος.

SIC *Tabi* servus *Rabban Gamalielis* hero suo: de quo plurima passim: speciatim vero in

Beracoth, fol. 16. 2. *Cum mortuus esset servus ejus Tabi, suscepit ille pro eo consolationes. Dixerunt ei discipuli ejus, Docuisti nos ô magister quod non recipiunt consolationes pro servis. Respondit ille, Servus meus Tabi, non erat sicut alii servi, ille rectissimus.*

Ver. 5, Τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν.

I. Non inusitatum erat, uni homini ædificare Synagogam.

Kitsur Piske הראש in *Megillah*. Artic. 41. *Si quis domum ædificaverit, posteaque eam consecraverit in Synagogam, est de natura Synagogæ.*

Gloss. in *Rabbenu Asher*, ibid. fol. 37. 2. *Unus quis qui condiderit Synagogam, dederitque concivibus*, &c.

Et disputant plurima magistri in tractatu isto *Megillah*, cap. 4. super hac quæstione. An liceat vendere Synagogam, aut in usum aliquem civilem alienare: atque inter alia supponunt eam ædificatam ab uno aliquo homine, at quam tandem reservare vult in usum proprium,

II. Non hæsit iis scrupulus de conditore etiam Gentilitio, cum sanctimonia loci, non tam in ædificatione constaret, quam in sacratione, & dicatione in usum sacrum: cujus rei specimen aliquod habes in templo condito ab Herode. Et talem seipsum erga gentem eorum, approbaverat hic Centurio, ut de liberalitate & devotione ejus, in erogatione sumptus ædificationis, non haberent cur cierent scrupulum.

Ver. 12. Ἐξεκομίζετο τεθνηκῶς.

Talmudicis vulgo יוצא בת. Quod primo intelligitur, de elatione funeris è porta atrii domus.

Hieros. Beracoth. fol. 5. 4. *A quonam tempore inclinant lectos? Ex quo defunctus exportatur ex porta atrii domus.*

Secundò, de exportatione extra urbem: Nam לא היו כתי קברות סמוכין לעיר *Cœmiteria non erant prope urbem.* Gloss. in Kiddushin, fol. 80. 2.

Moed katon, fol. 24. 1. *Infans moriens ante tricesimum ætatis diem* יוצא בחיק *effertur in sinu: & sepelitur ab una fœmina & duobus viris.*

בן ל יוצא ברלוסקמא. *Infans triginta dierum effertur in arcula. R. Judah dicit, Non in arcula quæ portatur humeris, sed brachiis.*

בן ג שנים יוצא במטה. *Puer trium annorum effertur in lecto*, & sic ab ista ætate ulterius.

Ὄχλῳ ἱκανὸς ἐκ τῆς πόλεως αὐτῆς.

Moed katon, ibid. *R. Simeon ben Eliezer dicit* היוצא במטה מצהיבין עליו רבים *Pro mortuo qui effertur in lecto, multi lugent*: at si non effertur in lecto [sed in גלוסקמא vel ברלוסקמא] multi non lugent.

נ׳בר לרבים רבים מתעצבין עמו. *Si defunctus notus fuerit multis multi eum comitantur.*

Aderant vulgò ad talia funera נושאי מטה וחילפיהן וחילופי חילופיהן *Portantes feretrum, & qui vices cum illis mutarent, atque etiam qui vices cum istis. Beracoth*, cap. 3. hal. 1. Nam ut gloss. הכל חפצין לזכות בו *omnes cupierunt fungi isto munere.* Erant etiam qui עומדין בשורה *seriatim stantes circum lugentem eum solarentur.* Ibid. & *Chetubb.* fol. 8. 2.

Ver. 14. Ἅψάμενος τῆς σοροῦ.

Syr. קרב לערסא Talmudici dicerent נגע במטה, quod quidem Hebraice est idem, 2 Sam. iii. 31. אחרי המטה. Targ. בתר ערסא *Beresh.*

Bereſh. rabb. Sect. 100. *Dixit Jacobus filiis, Cavete vos* שלא יגע ערל במסרי *Ne præputiatus quis tangat lectum meum, ne pellat ab eo divinam præſentiam.*

Ver. 37. Γυνὴ ἁμαρτωλὸς

I. Erant hæ fœminæ inter Judæos mali nominis.

Chetubb. fol. 72. 1. *Illa quæ tranſgreditur legem Moſaicam, & illa quæ Judaicam.* Gloſſ. *Legem Judaicam, quam ſequuntur filiæ Iſraelis, etiamſi non ſit ſcripta.*

Quænam illa quæ tranſgreditur legem Moſis? Illa quæ marito præbet aliquid comedendum quod non decimatur. Quæ coitum ejus patitur exiſtens menſtruoſa. Quæ non ſeparat ſibi collyram. Quæ vovet, & non præſtat quod votum.

Qualiter tranſgreditur legem Judaicam? ſi prodeat in publicum capite aperto. Si neat in plateis. Si confabuletur cum quovis obviante. Abba Saul dicit ſi maledicat filiis ſuis. R. Tarphon dicit, ſi quoq; ſit clamoſa. Gloſſ. *Si concubitum mariti ſui efflagitet intra domum ſuam, ea vociferatione, ut audiri poſſit à vicinis.*

Maimon. in loc. *Si nens in platea brachia denudet conſpicienda viris: ſi vel roſas aut myrtum, aut pomegranatum aut aliquid tale appendat oculis vel genis. Si luſitet cum adoleſcentibus. Si maledicat patri mariti ſui coram marito,* &c.

II. Suſpicor vocem Ἁμαρτολὸς deteriora adhuc ſonare, quod & vulgò creditur de hac fœmina, quod ſcilicet fuerit reipſa adultera, & ſumma vitioſitate contaminata. Notum eſt quid חטאים ſonet in vet. Teſt. & Ἁμαρτωλοὶ in Novo.

Ver. 38. Καὶ κλαῦσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω.

Pedes lavit poſt eum protenſos: De qua re dicimus fuſius ad *Johan.* xii.

Ver. 47. Ὅτι ἠγάπησε πολύ.

Hæc animadversa vim animumque vocabuli ὅτι facile enucleant.

I. Quod hæc fœmina non nunc primum ad Christum se receperit, nec nunc primum remissionem peccatorum suorum acceperit. Creditur fuisse *Maria Magdalena* nec sine ratione. Si ita, tum ex ea antea ejecta fuerant septem sua dæmonia: & tunc temporis remissa ei peccata, sanationem indulgente Christo, & corporis & animæ. Ea ergo tam grandi antea devincta beneficio, jam se provolvit ad pedes Christi, gratitudinis ergô & devotionis. Remissionem peccatorum obtinuerat ante hanc actionem, atque inde hæc actio, non ab hac actione remissio.

II. Nequaquam aliter quadraret simile quod proponit salvator de relaxatione debiti. Non relaxatur debitum, quia debitor diligit, sed debitor diligit, quia relaxatur debitum. Præcedit remissio, dilectio sequitur.

III. Non dicit Christus, Pedes meos lachrimis lavit, capillis tersit, unguento unxit ὅτι ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι, sed ὅτι ἀφέωνταί σοι ἁμαρτίαι, Ut satisfaciat nempe murmuranti Pharisæo. Tu intra te mussitas *Simon*, quod grandissima peccatrix sit hæc fœmina: quereris tecum, quod ego tactum tantæ peccatricis tollerem: Ego vero dico tibi, quod ex ipsissimis hisce quæ erga me præstitit officiis, patet quod remittuntur ei peccata sua: nam non potuit hæc specimina & fructus charitatis & devotionis edidisse, si constricta adhuc foret reatu, & vinculis peccatorum suorum.

CAP.

CAP. VIII.

Ver. 2. Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή.

UNDE autem ſic vocata?

I. Obſervavimus ad *Matth.* xxvii. 56. mentionem eſſe apud Talmudicos, τῆς מרים מגרלא שיער נשיא *Miriam Magdila-ſcner naſhaia Mariæ plicatricis capillorum fœminarum:* quam dicunt fuiſſe uxorem τοῦ פפוס *Papus ben Judæ*, ſed adulteram.

Papum coætaneum faciunt, cum *Rabban Gamaliele* [Jafnenſi] & *R. Joſua. Hieroſ. Bava bathra*, fol. 15. 1. & cum *R. Akibah. Gloſſ. in Schabb.* fol. 104. 2. qui omnes vixerunt, & ante dirutum Templum, & poſt. Ita ut tempora non admodum diſſonent: Et probabile eſt, Gemariſtas aliquam memoriam *Magdelenæ* hujus noſtræ in voce מגרלא retinuiſſe.

II. Obſervamus ad *Johan.* xii. fuiſſe oppidum quoddam prope *Hieroſolymam* nomine *Magdala*, mali nominis & famæ, quæ forte ipſa *Bethania* fuit, aut eſto alia ab ea, non incongrue dici potuit *Maria* noſtra, *Magdalena* [ſi ſoror ſcil. *Lazari*] vel quod ibi aliquando habitaret, illuc elocata per nuptias, vel quod mores meretricios iſtius loci imitaretur. Sed pronum mihi eſt credere, ipſam *Bethaniam* ita fuiſſe dictam.

Ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει.

De numero ſeptenario non contendimus, cum vix quicquam uſitatius quam numero hoc certo uti, pro incerto. Scrupulus eſt an ſecundum literam hæc verba ſint intelligenda, an ſenſu Judæorum, quibus etiam vitia ſunt dæmonia: ut *Malus affectus eſt Satan.* Gloſſ. in Joma fol. 67. 2. *Ebrietas ex muſto eſt dæmonium*, Gittin. fol. 77. 2, &c. Si *Maria* hæc eadem fuerit cum peccatrice cap. præcedenti, quod creditur, tum per dæmonia videntur intelligi ejus vitia: Præſertim vero cum & Phariſæus & Evangeliſta eam vocent *Peccatricem* potiùs quam Dæmoniacam. Sed rem in medio relinquimus.

Ver.

Ver. 3. χυσᾶ.

Occurrit tale nomen in Genealogia *Hamanis*.

Maſſech Sopherim, cap. 13. Exaltavit Rex Hamanem Hammedathæum Agagæum בר כוזא *Filium chuzæ*, &c.

Targ. in *Eſther* cap. 5. eandem Genealogiam recenſens, nomen hoc omittit, & in aliis diſcrepat. Hoc obiter notare licet, quod *chuza* eſt nomen in familia *Hamanis Edomæi*, & *chuza* etiam in familia *Herodis*, qui de ſanguine etiam *Edomæorum*.

Ver. 18. Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ δοθήσεται αὐτῷ.

Succah. fol. 46. 2. *Menſura Dei non eſt ſicut menſura carnis & ſanguinis. Menſura carnis & ſanguinis hæc eſt. Vas vacuum recipit, plenum non recipit amplius. At menſura Dei hæc. Plenum recipit, vacuum non recipit ſicut dicitur* אם שמיע תשמע *Si audiendo audies: id eſt ſi audis audies, ſi non audis non audies.*

Gloſſ. *Si ad audiendum te aſſuefeceris, tunc audies & diſces & addes.* Non diſpar eſt illud in *Beracoth.* fol. 55. 1. *Deus non dat ſapientiam, niſi ei cui eſt ſapientia.*

CAP.

CAP. IX.

Ver. 3. Μήτι ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

AUT plurimum me fallunt calculi mei, in computatione temporum, aut inſtabat jam hyems, cum emitterentur Apoſtoli, & tamen interdictum iis ne duplici amictu induantur. Minus erat, quod vetitum iis, portare ſecum, vel pecuniam, vel viaticum, nam propter Evangelizationem ſuam miniſtrandus erat iis victus. At dum cum frigore & hyeme colluctandum iis eſt abſque amictu competenti, videtur durius.

I. Non inuſitatum quidem eſt in gente, ut aliqui ex religioſiori ſeveritate amicirentur veſte tantum una, de qua re diximus ad *Marc.* xiv. ver. 51. Quo forſan ſpectat illud in *Schabb.* fol. 118. 2. *Dicit R. Joſe, Sit portio mea* מתי בחולי מעיים *cum iis qui mortui ſunt ex agritudine inteſtinorum. Nam dicit Mar, Plurimi juſtorum moriuntur ex agritudine viſcerum:* contracta ſcil. ex auſteritate vitæ, in victu, & veſtitu. Et ſic dicitur ſpeciatim de ſacerdotibus.

Gloſſ. in Shekalim, cap. 5. *Ambularunt Sacerdotes diſcalceati in pavimento, & uſi ſunt aqua, & non amicti* אלא בגד אחד *niſi veſte una.-- Atque ex hac conſuetudine elanguit vigor eorum, atque infirmata ſunt eorum viſcera.* Atque hujus rei ergô, erat medicus quidam in templo ſtatutus, cui cura incubuit, huic malo occurrendi, quem non incongrue dicas, *Medicum viſcerarium.*

Jam ergo quæritur an Chriſtus præſcripſerit hiſce ſuis talem ſeveritatem ex hoc exemplo non indulgens eis niſi unam veſtem, cum Evangelizatio hæc eorum itineraria, foret opus hyemale; nam ab ea redierunt paulo ante Paſcha. Confer ver. 10. hujus capitis & ultra, cum *Johan.* vi. 4. & porro. Exſpatiemur paululum.

I. In utroque Talmude. *Hieroſ. Schabb.* fol. 15. 4. *Bab. Schabb.* fol. 120. 1. numerantur octodecim indumenta, quibus veſti ur Judæus à capite ad calcem. Inter alia, duo calcei, duæ caligæ, &c. Verum ea quæ maximè propriè dicenda ſunt veſtimenta, & quæ ipſum corpus ambiunt, atque amplexantur, numerantur iſta.

1. מקטורן *Mactoren.*] Quæ vox à variis redditur varié. à Gloſſ. מנטור, opinor *A-mantle.* Ab Aruch. מעול *Pallium*: Ab aliis, *Cucullus.* Gloſſæ in *Bava bathra*, fol. 57. 2. eſt idem cum *Talith.*

Avodah zarath, fol. 58. 2. *Reſh Lachiſh* profectus *eſt ad Bezram, & vidit Iſraelitas comedentes fructus non decimatos, & prohibuit iis. Venit coram R. Johanane, qui dixit ei* אדמקטורך עלך זיל *Etiam dum Mactoren* [*pallium*] *tuum ſuper te eſt, Ito & revoca prohibitionem tuam.*

II. קולבין של פשתן *Kolbin de lino:* quod Babylonicis eſt קלבוס. Ordinarius Judæi amictus erat טלית *Talith*, veſtis exterior, & חלוק *Hhaluk*, interior. Aſt in loco allegato, nulla eſt mentio τῆς *Talith*, in Syllabis omnino: ejus autem vice, eſt קולבין *Kolbin:* voce Græca adhibita pro Hebræa: קולבין id eſt Κολόβιον.

Epiphan. lib. 1. cap. 15. De *Scribis* loquens, *Adhæc veſtes Phylacteriis diſtinctas gerebant, quæ ſunt latiora quædam purpuræ Segmenta.* Ἀλλ' ἐπειδὴ στλὰς, εἴτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, ἢ Δαλματικὰς εἴτ' οὖν Κολοβίωνας, &c. Lat. interpr. *Cum ſtolis, ſive veſtimenti genere quodam uterentur iſti, quod Dalmaticas, aut Colobia appellare poſſumus* ἐκπλατυσμῶν διὰ πορφύρας ἀλεξουφεῖς κατασκάσμινας. *quæ amplioribus ex purpura Segmentis erant intexta.*

De טלית *Talith* eum loqui, res ipſa loquitur. Nam nihil aliud erant ſegmenta iſta purpuræ, quam צוצית peniculamenta τῦ *Talith* appenſa, & aſſuta.

III. חלוק של צבר *Camiſia lanea*, veſtis interior. Unde Gloſſ. חלוק קמישא על בשרו *Hhaluk erat camiſia ſuper carnem ejus.* Atque inde jactantia τῦ R. Joſe. *Schabb.* fol. 118. 2. *Quod in tota vita ſua, tigna domus ejus non viderant interiora* חלוק *camiſiæ ſuæ.*

II. Et jam redit quæſtio. An per δύο χιτῶνας, loco quem tractamus, intelligendæ ſint hæ duæ ſpecies, *Talith* & *Hhaluk*, an ſpecies una duplicata? An ſcil. ſalvator eos aſtrinxerit ad unum tantum horum veſtimentorum, an duplicem *Talith* aut *Hhaluk* prohibuerit.

Credimus quod ad unum tantum aſtrinxit: Nam quamvis χιτῶν cum conjungitur cum ἱμάτιον, ad ſpeciale veſtimentum applicetur,

applicetur, cum tamen non ita conjungitur, poteſt in genere denotare *Amictum*. Et cum jubeat Chriſtus Μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας, *Marc.* vi. 9. optime exponitur ex præcedentibus: Nam cum decurtat ab iis, alias veſtimentorum atque utenſilium partes, peram, baculum, calceos, liquet decurtare eum etiam, unum de ordinariis veſtimentis, aut *Talith* aut *Hhaluk*.

Severum nimis hoc videri poſſit, eum illos hyeme omittere velle ſeminudatos. At. 1. Congruit optime cum ejus providentia, quam exerere pro iis ſpeciali modo, illi eſt ſtatutum, quod colligi poteſt ex *Luc.* xxii. 35. & cui vult eos ſe committere. Et ſimilis eſt providentia ejus, in iis tuendis, providentiæ Dei, erga *Iſraelitas* in eremo, quæ non permiſit veſtimenta eorum veteraſcere, & corpora conſervavit à languore & morbis incolumia, & pedes ab omni gravamine intactos. 2. Congruit optimè cum ſtatu & humilitate regni cœlorum, & *Meſſiæ*, de quibus illi Evangelizant, ut de utroque rectius judicare diſcant Judæi, ex ipſo conſpectu, & intuitu horum præconum: atque in *Meſſia* diſcant credere, cum videant eum tam miraculosè nuntios ſuos protegere, etiam omnibus incommodis circumſeptos: & diſcant regnum cœlorum pompoſum non expectare, cum tantum diſtent hi ejus præcones à pompa.

Verba Baptiſtæ Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω, ſic etiam ſunt intelligenda, ut ille qui habet *Talith & Hhaluk*, det unam nudo, & non habenti vel hanc vel illam.

Ver. 8. ὅτι προφήτης τῶν ἀρχαίων ἀνέστη.

Sic ver. 19. Quo ſenſu ſumendus eſt ὁ προφήτης *Johan.* i. 21, 25. id eſt, ὁ προφήτης τῶν ἀρχαίων ὃς ἀνέστη.

Cum nullum expectarent Prophetam [*Elia* excepto] ante adventum *Meſſiæ*, at tum veteres reſurrecturos, conceperunt, ut videtur, tempus illud inſtare vel adeſſe, cum in ore eorum tam frequenter foret mentio, de veteri aliquo Propheta à mortuis reſuſcitato.

Ver. 30. Μωσῆς καὶ Ἠλίας.

Fingunt ſibi Judæi, *Moſen* venturum cum *Elia*, cum *Elias* advenerit.

Debharim rabba, fol. 293. 4. *Dixit Sanct. benedictus Mosi, sicut vitam tuam dedisti pro Israele in hoc sæculo, sic tempore futuro, cum adduxero ad eos Eliam Prophetam* שניכם באין כאחת *Vos duo venietis simul.*

At ridebis hujus opinionis fundamentum, jactum scil. ex verbis *Nahumi* cap. 1. 3. יהוה בסופה ובשערה דרכו *Moses* autem infans jactus est in מופה Exod. 2. & *Elias* ascendit in cœlum בסערה. 2 Reg. 2. Hoc illis est, Allegorizari.

Fingunt quoque *Mosen* exsuscitatum fuisse simul cum *Samuele* à Pythonissa.

Vajicra rabba, fol. 195. 3. *Samuel putavit diem istum fuisse diem judicii, excitavit ergo secum Mosen.*

Pesikta, fol. 93. 1. *Moses non mortuus est* [*nam justi non moriuntur*] *sed ascendit in excelso ut ministraret Deo.*

Ver. 31. Ἔλεγον τὸν ἔξοδον αὐτοῦ.

Gallus atque Italus laxè nimiùm vocem Ἔξοδον reddunt hoc in loco. Ille, *Disoyent sur le issue*, Hic, *Diceuano il successo suo.* Et vereor ne strictè nimis vernacula nostra, *They spake of his decease.* Mallem *They spake of his departure.* Nam ascensio Christi in cœlum erat Ἔξοδος ejus, æque ac mors ejus erat. Imo potius quam mors ejus, si in vocabulo Ἔξοδον, sit ulla allusio ad exitum ex *Ægypto.* Iste enim erat in victoria & triumpho, prout erat ascensio ejus in cœlum.

Parum dubitamus, sermonem iis fuisse de ejus morte, istiusque modo, per crucifixionem scilicet, cum *Moses* & *Elias* absque dolore aut angore obierint; At suspicamur aliquid magis contineri intra vocabulum, & Phraseologiam Ἀναλήψεως αὐτοῦ, ver. 51. Ἔξοδον αὐτοῦ, plane respicere.

Occurrit vox Ἔξοδος apud Græc. Interpr. *Prov.* xxx. 12. *Generatio mala seipsam justam judicat* τὸν δὲ Ἔξοδον αὐτῆς οὐκ ἀπενέψεν. *Exitum autem suum non lavit.* Obscurè satis, & quidem præter textum. Legunt illi ומיציאהו cum in fonte sit ומצאתו *Et à sordibus suis se non lavit.*

Ver. 51. Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ.

Oritur quibusdam scrupulus, cur mentio solùm fiat τῆς ἀναλήψεως, non prius habita mentione mortis ejus. Verum detur sub voce Ἔξοδον αὐτοῦ concludi Ascensionem ejus, & solvitur nodus. Et videtur

videtur Evangeliſta, indè calculare. Loquuti fuerant *Moſes* & *Elias* de *diſceſſu ejus* ex hoc mundo, id eſt finaliter per ejus aſcenſionem, atque ille exinde uſque dum expleretur tempus aſcenſionis, faciem ſuam firmat verſus *Hieroſolymam*, ſtatuens apud ſe, ad omnia feſta adeſſe, quæ ejus Ἀνάλημψιν erant anteceſſura.

Pergit ergo jam ad feſtum *Scenopegiæ*, ubi quid egerit habes, *Johan.* vii. Poſt decem aut circiter ſeptimanas, aſcendit iterum ad feſtum *Encæniorum*, cap. xiii. 22. *Johan.* x. 22. & tandem ad ultimum ſuum Paſcha, cap. xvii. 11.

Ver. 52. Εἰς κώμην Σαμαρειτῶν.

An Judæi in oppidis Samaritarum vulgò pernoctarent, in acceſſu eorum, & receſſu ab *Hieroſolymis*, poſſet diſputari. Verum ſi eos cogeret aliquando neceſſitas in iſta diverſoria, nihil erat illic, præter inimicitiam gentis, quod poſſet iis eſſe offendiculo. Nam *terra iſta erat munda, collectiones aquarum mundæ, habitacula munda, & ſemitæ mundæ*, Hieroſ. *Avoda Zarah.* fol. 44. 4. Ita ut nihil periculi de immunditia in habitaculis: & cum Samaritani in quamplurimis Judaizarent, minus periculum immunditiei in eduliis, lectis, menſis, &c.

Ver. 55. οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς.

Quod fecit *Elias* inter Samaritanos, imitari ambiunt Zebedæani inter Samaritanos: in nomine ſuo *Boanerges* ſomniantes, ut videtur, eſſe fulgura & tonitrua, ad necem & ſtragem. At vidiſtis ô *Zebedæi* filii, magiſtrum veſtrum de vitis hominum curas agentem ex intimis præcordiis, & miſericordiæ viſceribus. Sanantem ægros, liberantem Dæmoniacos, ſuſcitantem mortuos, & vos cædes & flammas, & perditionem totius oppidi, ad inſtar *Sodomæ* ſpirare: Non noſtis, non advertitis, qualis ſpiritus decet eſſe Apoſtolos *Meſſiæ*.

Ver. 60. Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.

Gentiles æſtimabantur à Judæis, pro mortuis.

Chetubboth. fol. 3. 2. עמי הארצות אינן חיים. *Populi terrarum* [i. e. Ethnici] *non vivunt.* Atqui hi inter ſuos, etiam ſic æſtimati.

Shemoth rabba, fol. 123. 1. ארבע הן חשובין כמתים. *Hi quatuor reputantur pro mortuis, Cæcus, leproſus, pauper &* [Ἄπαις *vel*] *qui non habet liberos.*

CAP. X.

Ver. 1. Ἑβδομήκοντα.

QUARE vulg. Interpr. habeat *Septuaginta duos*, ipſe, ut opinor, vix rationem reddiderit: multo minus rationem reddiderit *Titi Boſtrenſis* interpres, quare Ἑβδομήκοντα ut eſt in Græc. *Titi* reddat *Septuaginta duos.*

Super hiſtoriam *Eldadi* & *Medadi*, Num. xi. Sic *Aben Ezra. Dicunt Sapientes quod Moſes accepit ſex ex unaquaque tribu, & totus numerus accrevit ad Lxxii. Cum ergo præceperat Deus de Lxx tantum, ſeponuntur iſti duo.* Jam ergo ſi Deus ſepoſuit Duos [qui erant de conſcriptis, & qui dotati Spiritu Sancto] ut non eſſent Lxxii, ſed Lxx, vix excogitaveris quare Chriſtus adderet duos, ut non eſſent Lxx ſed Lxxii.

Vajicra rabba, fol. 178. 1. *Dicitur Moſi ad montem Sinai, Aſcende tu & Aaron, & Nadab & Abihu, & Lxx de Senioribus Iſraelis: Sic etiam tempore futuro conſtituturus ſibi eſt Sanctus benedictus* ישיבה של זקנים משלו *Conſeſſum Seniorum de proprio.* Et quotnam illi numero ſi calculare permittes hos magiſtros? *Septuaginta* certe, non *Septuaginta duo.* Inauditus apud eos conſeſſus *Septuaginta duorum*, niſi vice tantum una in *Jabneh.*

Judaim, cap. 3. hal. 5. *Dicit R. Simeon ben Azzai* מקובל אני מפי עב זקן *Accepi ego ab ore Lxxii Seniorum, eo die quo conſcriberent R. Eliezar ben Azariah in Synedrium:* Non amoventes tamen *Rabban Gamalielem* quamvis diſpliceret.

Ver 3. Ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων.

Additur Matth. 10. *Eſtote prudentes ut Serpentes*, &c. Quocum confer illud

Midras Schir. fol. 17. 3. *Dicit Sanctus benedictus de Iſraele* אצלי הם תמימים כיונים *Apud me ſunt ſimplices ut columbæ* אבל באה הם ערומים כנחשים *Aſt inter nationes mundi ſunt callidi ut ſerpentes.*

Ver.

Ver. 4. Μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε.

I. Nemo non hic in mentem revocat illud, 2 Reg. 4. 29. *Si quis tibi occurrerit ne ſalutes eum*, &c. id eſt, ut vulgo concipitur, Ne iter tuum cum quovis colloquendo tardes. Quæ ratio locum hic habere non poteſt, cum horum diſcipulorum negotium, tajem expeditionem non efflagitaret. Amandati enim ſunt וגנורת וגנות *Bini bini*, ad hæc & illa loca & oppida, ad quæ Chriſtus ipſe in propria perſona erat acceſſurus, & non erat cur ad illa tali feſtinatione currerent, ut ne minima mora in via admittenda. Verum ad loca deſtinata deſtinatis, in iſtis ſolùm locis erat negotium, annuntiandi ſcil. adventum Chriſti, & non tale quid enuntiandi in via. Emiſſi duodecim Apoſtoli annuntiare habuerunt adventum *regni cœlorum*, hi adventum *ipſius regis*. Non mirum igitur ſi illis non prohibitum fuerit ſalutare aliquem in via: Nam iis incubuit ubique annuntiare regnum cœlorum, at his, adventum Regis, iis tantum locis quo ipſe eſſet adventurus, & non prædicare obiter occurrentibus in via.

II. Uſitatum erat in iſta gente, ſub quibuſdam rationibus, non ſalutare in via, imo non ſalutare omnino.

Rambam in Moed katon, cap. ult. *Lugens pro mortuo, ſeptem primis diebus luctus ſui, ne quemquam ſalutet.*

Taanith. fol. 12. 2. Si præterierint tredecim jejunia quæ indixerat Synedrium pro implorandis pluviis, & non deſcenderant pluviæ, tum *Diminuunt de negotiatione, & de edificatione, & de plantatione, & de deſponſationibus, & nuptiis* ובשאלת שלום בין *& de mutua ſalutatione* [id eſt ab his rebus abſtinent] *ſicut homines increpati à Deo.* ארם לחבירו

Ibid. fol. 14. 2. חבירים אין שאלת שלום ביניהם. *Religioſi non mutuò ſalutant. Quod ſi quis de vulgo eos ſalutet, illi regerunt* בשפה רפה וכובד ראש *voce ſummiſſa, & cum gravitate, & velant ſe, & ſedent ſicut lugentes, vel ſicut excommunicati.*

An illud Apoſtoli *ſalutate vos invicem oſculo Sancto*, huc aliqualiter reſpiceret, liceret quærere, ſi eſſet hujus loci, ſed abſtinemus.

Quid ergo voluit Chriſtus per hanc prohibitionem; *Neminem ſalutetis*

salutetis in via? Num voluit ſuos Judaicum hunc morem imitari, ut pro lugentibus habeantur ab omnibus?

I. Voluit ſuos eſſe ſibi conformes, ut omnes ex qualitate præconum, aliquantum judicarent de qualitate mittentis, quod etiam diximus ante de duodecim. Erat ipſe *vir dolorum*, & ſi præcones ejus aliquid tale repræſentent vultu geſtuque, melius edocent populum qualis ille, qui eos miſit.

II. Duplici fine voluit Chriſtus, ut notum fieret de locis, ad quæ ipſe in perſona ſua erat venturus: nempe ut eò congregarentur omnes ad doctrinam ejus, in medelam animarum, atque ut congregarentur eo morbidi, in medelam ægritudinum.

Et congruentiſſimus geſtus præconum ad hæc homines convocantium, erat luctuoſus, utpote demonſtrantium ſe compati & condolere, cum male affectis & afflictis.

Ver. 8. Ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν.

Adeo curioſi erant Canones traditionales de non comedendo, niſi quæ munda, quæ decimata, atque de quibus rite ſeparata erat *Trumah*, ut mirum ferè videatur, traditionarios iſtos inedia non fuiſſe confectos, ſi modo Canonicè viverent, veſcerenturque.

Hieroſ. Demai, fol. 22. 4. *Ne miniſtret* חבר *Religioſus ad menſam Laici, niſi ſint omnia ritè præparata & decimata.* Plurima ſunt hujus farinæ.

A tædio & perplexitate talis curioſitatis liberat & ſolvit hic ſuos ſalvator, partim ut libertatem Evangelicam introducat, partim ut diſcipulis conſulat, qui ſi ad iſtam curioſitatem in deligendis cibis forent aſtricti, quid iis agendum, cum inter homines prorſus ignotos, ut plurimum iis eſſet verſandum.

Ver. 18. Ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν, &c.

Lucifer de cœlo cadens, Eſai. 14. 12. *eſt Rex Babylonicus* de ſolio, poteſtate & dominio ſuo detruſus. Sic & *Satanas* hoc in loco. Vocabulum Ἐθεώρουν, ego ad ipſiſſimum illud tempus retulerim. Cum vos emitterem vidi ruinam *Satanæ* jam inſtare, ipſumque à dominio & tyrannide ſua jam caſurum. Cum enim propoſitum jam fuerit Chriſto apertiſſime ſe manifeſtare, atque ad rem iſtam promovendam

movendam tam numeroſam concionatorum multitudinem emitteret, neceſſe jam eſt, & fieri non poteſt, quin protinus corruat dominatio *Satanæ*, & regnum ejus quaſſetur.

Emiſſos hos Septuaginta arbitramur cum jam inſtaret feſtum Tabernaculorum, reſtaretq; medietas anni ad *Chriſti* mortem. In qua temporis intercapedine, notiorem ſe fecit Chriſtus, & per horum prædicationem, & quidem in perſona ſua atque in profeſſione ſui, quam fecerat ante. Quæ omnia terminantia in ejus morte, quæ fuit mors *Satanæ*, meritiſſimam ei cauſam dicendi præbuerunt, *vidi Satanam* ſolio & dominio ſuo detruſum. Confer. *Apoc.* 12. 9. ubi *cœlum* eſt eccleſia.

Ver. 25. Καὶ ἰδοὺ Νομικός τις ἀνέστη.

Sect. *Pauca de Doctoribus Judæorum.*

Occurrit vocabulum Νομικὸς, *Matth.* xxii. 35. ubi Syrus habet ספרא *Scriba.* Sic & *Luc.* vii. 30. hoc etiam in loco: & cap. xi. 45. Nec ſine ratione, cum ille qui *Matthæo* eſt Εἷς ἐξ αὐτῶν Νομικὸς, *Marc.* xii. 28. ſit Εἷς τῶν Γραμματέων.

Oriri tamen videtur aliqua difficultas, ex cap. xi. 44, 45. hujus Evangeliſtæ, ubi Οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς, & Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Νομικῶν videtur inter eos diſtinguere: de qua re iſto in loco. Ne tædio interim ſit lectori, ſi pauca proferamus de Doctoribus legis, & varias eorum claſſes oſtendamus, ut clariùs dijudicare liceat de genere iſto hominum, de quibus tam frequens memoria in ſacris literis.

I. Ut *Scriba* fuerit generale omnium, doctorum vel literatorum prædicamentum, nemo non novit, ut opponitur nempe בור *Rudi* vel illiterato.

Baracoth. fol. 45. 2. *Si duo ſimul comedant* שׁשניהם סופרים *qui ſunt Scribæ, uterque gratias agit pro ſe, ſingulatim* אבל אחר סופר ואחר בור *At vero ſi unus ſit Scriba, & alter indoctus, Scriba gratias agit & ſatisfit pro indocto* vel rudi.

Aſt in prima originatione vocis סופרים, peculiarius denotavit *Numeratores* ut videtur ex *Kiddußin.* fol. 30. 1. נקראו ראשונים סופרים *Dicti ſunt antiqui* סופרים [Numerantes] *quia numerarunt omnes literas in lege: Nam dixerunt* ו *Vau*

in

in נחון Levit. xi. 42. *eſt media litera libri legis*, &c. Addit & Gloſſ. rationem aliam ex Tal. Hieroſ. *Quia ſcil. enumerarunt apices vel contenta legis, ut quadraginta principalia opera ſervilia, uno minus, quatuor principalia damna*, &c.

Si daretur ſignificationem vocabuli intra tam anguſtas ripas à primo fonte fuiſſe coarctatam, exundavit tamen tandem, ut omnibus notum, in campum ſpatioſiorem, ut quemlibet in lege doctum, & quemlibet legis doctorem, denotaret: extenderetur que etiam ad מלמדי תינוקות *Ludimagiſtros qui docerent puerulos*: Si non & ad לכלרין *Libellarios*, quorum opus erat ſcribere libellos divortii, & Schedulas contractuum, &c. De quibus duobus mentio, inter decem illa, quæ ſi non eſſent in urbe, non commorandum eſt ibi diſcipulo ſapientum, *Sankedr.* fol. 17. 2.

II. Patres Synedrii præ omnibus aliis emphatice vocari *Scribas*, adeo notum eſt, ut non egeat illuſtratione. Satis in rem iſtam facit illud, *Matth.* xxiii. 1. *Scribæ & Phariſæi ſedent in cathedra Moſis*, id eſt, In Cathedra legiſlativa, vel Synedrio: ubi etiam *Sadducæi*, qui erant de iſto Concilio, vocantur *Scribæ*: Et *Scribæ* diſtinguuntur ibi à *Phariſæis*, non quod & hi non forent *Scribæ*, ſed quod omnes *Scribæ* illic, non forent *Phariſæi*.

III. Erat genus quoddam Doctorum vel *Scribarum*, qui erant *in* Synedrio ſed non *de* Synedrio: & vocantur vulgo הרנים לפני חכמים *Illi qui judicarunt coram ſapientibus.* ראויין לחוראה *Apti ad munus legiſlativum*, ſed non admiſſi: Quod de *Simeone ben Azzai*, & *Simeone ben Zuma* dicitur, *Horaioth*, fol. 2. 2.

Talis erat *Simeon Temanites*, de quo diximus alibi, ex *Sanhedr.* fol. 17. 2. qui דן לפניהם בקרקע *Judicavit coram Synedrio, ſedens humi.* Non in ſubſelliis patrum, utpote non exiſtens de eorum numero, ſed in ſedilibus propius à terra: quem conſuluerunt patres in rebus arduis. Cujus rei umbram aliquam referunt Judices, periti legum, in Parliamento vel Senatu noſtro Patricio, vel conſeſſu Nobilium.

An ille qui ſpeciatim vocatur חכם *chacam ſapiens*, fuerit de numero Patrum, vel de numero horum Judicum, non diſputabimus, Judicet lector ex hac hiſtoria.

Horaioth. fol. 13. 2. *Rabban Simeon ben Gamaliel erat* כשיא *Præſes*

Præſes Synedrii. R. Meir erat חכם *Sapiens vel chacam, & R. Nathan erat* אב בר *vicepræfectus.* Et cum Rabban Simeon aliquid ſtatuerat, quo vilifierent, R. Meir, & R. Nathan *dixit R. Meir* ad *R. Nathan,* אני חכם *Ego ſum chacam* vel ſapiens, *& tu vicepræfectus: Amoveamus Rabban Simeonem à præfectura, & tueris Præfectus & ego vicepræfectus.*

Frequentiſſimum eſt illud, ſed & difficillimum, *Schola Hilleliana ſic dicit, & Shammæana ſic* וחכמים אומרים *At ſapientes aliter.* Nam obſcurum quinam hi *ſapientes.* Si dixeris Synedrium, nonne pars ejus una conſtitit de *Shammæanis*, altera de *Hillelianis*? Si ita, tum videntur *ſapientes*, eſſe Judices iſti, de quibus agimus, niſi Sadducæis tertiam partem aſſignaveris, quibus rei determinationem vix attribueris, & multo minus emphaticum nomen *ſapientum.* Sed hoc in medio relinquimus.

III. Ut extra Synedrium inquiramus; Occurrent Scribæ, vel Doctores legis varii, pro varietate ipſius legis, & pro varietate docendi. Hinc varia iſta apud iſtos magiſtros. *Micra, Miſhnah, Midras, Talmud, Agadah,* &c.

1. מקרא *Micra* eſt ipſe textus Biblicus, atque ejus lectio, & literalis explicatio.
2. משנה *Miſhnah* eſt doctrina traditionum, atque earum elucidatio.
3. מדרש *Midras*, eſt Doctrina atque explicatio Scripturæ myſtica, vel Allegorica, Act. xv. 21. *Moſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicant in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Hi autem erant modi eum prædicandi.

I. Quoad legem ſcriptam [nam duplicem apud eos legem fuiſſe, *ſcriptam* ſcil. & *oralem* ut vocant, nemo ignorat] duplex erat iis modus eam enuntiandi, ſecundum ſenſum ſcil. literalem eam explicando, & applicando, εἰς οἰκοδομὴν παράκλησιν καὶ παραμυθίαν ut, 1 Cor. 14. 3. vel Allegorias, myſteria, & longe petitas notiones inde eliciendo. Priorem reſpicere videntur Archiſynagogi iſti in verbis ſuis ad *Paulum* & *Barnabam*, Act. 13. 15. εἴ τις ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαὸν, λέγετε. Poſterioris tam infinita ſunt exempla ubique in ſcriptis Judæorum, ut totam quidam ſcripturam liquefecerint ferè in traditiones & Allegorias.

An diversi ordinis fuerint hi concionatores, ut hic planæ explicationi & applicationi scripturarum se addiceret, ille mysticæ atq; abstrusiori, non facile dicitur: absque dubio est, convenisse hæc duo, quam frequentissime in eodem concionatore, in eadem concione: Et suspicor equidem vocem אגדה *Agadah* aliquando utrumque hunc modum interpretandi, denotare:

Bereshith. rab. fol. 90. 3. Cum quidam de quibusdam traditionibus interrogatus, non posset respondere, dicunt astantes דלמא לית בר אולפן בר אגדה הוא *Fortassis non peritus doctrinæ* [traditionalis] *est, sed peritus explicationis*, & proponunt ei, *Dan.* x. 21. explicandum. Cui consonat illud in

Gloss. in Bava kama, fol. 10. 1. בעלי אגדה מתוך שהן דרשנין וגו, *Magistri Agadæ vel explicationum, quia sunt Darshanin* [profundi scrutatores scripturarum] *honorantur ab omnibus, nam attrahunt corda auditorum.*

Nec multum absonat illud quoad rem ipsam in

Gloss. in Schab. fol. 115. 1. בשבת היו דורשין דרשה *Sabbato disquisiverunt disquisitione* [in Scripturis. Ἐρευνῶντες τὰς γραφὰς ut, *Johan.* 5. 39.] *ad patres familias qui versati sunt in negotiis suis tota hebdomada, atque inter explicandum, docuerunt eos articulos de prohibitis & permissis*, &c.

Ad mysticas & allegoricas tales scripturæ explicationes, si modo explicationes vocare liceat, nescio qua fascinatione ita addicti erant, ut nihil fere iis in pretio magis, quam ut aures ad talia prurientes, vel titillarent, vel scaberent. Hinc illud *Hieros. chagigah.* fol. 75. 4. *Dixit R. Josua, R. Jochanani ben Bruchah & R. Eleazaro cæco.* מה חדוש הוה לכם בבית מדרש היום *Quidnam novitatis erat vobis hodie in Beth Midras? Respondent nos omnes Discipuli tui sumus, & de aquis tuis bibimus. Quibus ille, At impossibile est, ut non sit aliquid novellæ, in Beth Midras unoquoque die.*

II. Quoad legem oralem, duplex etiam erat eam explicandi modus, sicut duplex erat explicandi legem scriptam.

1. De priori innuitur in verbis istis in

Megillah fol. 26. 2. *Librum legis qui jam veterascit reponunt apud discipulum sapientum* ואפילו שונה הלכות *etiam quamvis ille doceat* [Δεύτεροι] *traditiones*, quod obscurum satis videtur, sed sic illustratur à Gloss. *Quamvis non inserviat discipulis sapi-*

ſapientum בתלמוד וגמרא *in Talmud & Gemara* אלא במשניות ובברייתות *ſed in Miſnaioth & Bariathoth.* Hoc eſt, Qui prælegeret tantum ipſum corpus juris traditionalis, & ſenſum literalem redderet, non autem de eo ſcholaſtice diſputaret, aut commentaretur. Nam

2. Erant Doctores qui profundius in traditiones inquirerent, earum rationes quales quales redderent, de difficultatibus diſputarent, dubia ſolverent, &c. cujus rei ſpecimen eſt tota Gemara Talmudica. Denique

Inter doctos & doctores gentis, nominandi ſunt *Agadici* illi, qui profundiùs legem ſcriptam etiam interpretarentur ad Cabaliſmum uſque: qui & rariores erant, atque ut videtur, non adeo obtinerent apud populum. De iis an ſit ſermo, judica in

Hieroſ. Schabb. fol. 15. 3. & *Midrau Tillin.* fol. 20. 4. *Dicit R. Joſua ben Levi* יבא עלי *Sic & ſic eveniat mihi, ſi in tota vita mea inſpexi* כפרא דאגרתא *Librum Agada niſi ſemel* [nota illud] *& tunc inveni ſcriptum Centum & ſeptuaginta & quinque ſectiones legis, ubi ſcribitur,* Dixit Dominus, locutus eſt, præcepit, *ſunt ſecundum numerum annorum patris noſtri Abrahami, Sicut dicitur* לקחת מתנות באדם *Ad recipiendum dona pro hominibus,* &c. *Centum & quadraginta & ſeptem Pſalmi, qui ſunt in libro Pſalmorum* [nota numerum] *ſunt ſecundum numerum annorum patris noſtri Jacobi. Sicut dicitur, Tu Sanctus inhabitas laudes Iſraelis. Centum viginti, tres vices quibus Iſrael reſpondet Hallelujah* [poſt recitantem *Hallel*] *ſunt ſecundum numerum annorum Aaronis,* &c.

Hi omnes ergo, quos memoravimus, erant Scribæ, erant Doctores, erant interpretes legis, ſed quosnam inter hos proprie & peculiariter dixeris Νομικούς? An omnes? an particularem aliquam eorum claſſem?

Poſterius omni proculdubio probabilius; ſed quamnam claſſem tibi eliges? ut & an diſtingues inter Νομικὸν & Νομοδιδάσκαλον, an confundes? Judicium lectoris hac in re mallem quam proprium. Verum ne intactum prætereamus prorſus hoc dubium, & ne nimia prolixitate lectorem hoc in loco gravemus, præſertim vero, cum hæc quæ dicta ſunt, dicantur per digreſſionem, ea quæ de hac re adducturi ſumus ad *cap.* xi. 45. rejicimus.

Ver. 26. Πῶς ἀναγινώσκεις.

Germanum eſt illud, uſitatum in ſcholis מאי קראת *Quid legis?* Cum proferret ſcil. quis textum aliquem ſcripturæ in rei alicujus probationem.

Schabb. fol. 33. 2. Tradunt Rabbini: אסכרה באה לעולם על המעשר *Angina venit in mundum propter decimas.* [Gloſſ. Propter comeſtionem fructuum non decimatorum.] *R. Eliezer b. R. Joſe dicit, propter linguam malam. Dicit Rabba & dictum etiam eſt R. Joſua ben Levi* מאי קראת *Quid legis? Iætabitur Rex in Deo, gloriabitur unuſquiſque per eum jurans* כי יסכר [inde אסכרא] *quia obturabitur os loquentium mendacium,* Pſal. 63. 11.

Et paulo poſt, in alio ſubjecto, *Dicit R. Simeon ben Gezirah* מאי קראת *Quid,* vel *quomodo legis? Si non noſti ô pulcherrima inter fœminas, egredere in veſtigiis gregis,* Cant. 1. 8.

Non curiosè inquirimus, an ſalvator ipſiſſimam iſtam adhibuerit Phraſiologiam מאי קראת, an כיצר קראת, an איך קראת an aliquam aliam; in hoc ſolùm recedit à communi uſu locutionis, quod provocet alium ad textum aliquem ſcripturæ proferendum, cum in ſcholis uſitatum eſſet, ut is qui ita dixit, ipſe aliquem proferret.

Ver. 27. Καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου.

In reſponſo hominis hæc duo notanda.

1. Quod hanc clauſulam introducat quæ in terminis non eſt apud *Moſen*, ubi cætera, *Deut.* vi. 5. בכל לבבך ובכל נפשך ובכל מאדך. Ubi Græc. & editionis Romanæ & Alexand. בכל מאדך reddunt Ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεως σου, quod idem ſonat cum ἰσχυος· ſed ubi διανοίας; Exemplaria alia omittimus, in quibus quamvis ſit aliqua variatio, non tamem hæc quæ præ manibus.

Salvator ipſe eadem profert, *Marc.* xii. 30. at inverſo ordine. Καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχυος σου· Cum hic ſit Καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχυος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου.

Quid dicendum? Num in hunc ſenſum, ſcriptum eſt Hebraicè in ſchedulis Phylactericis? Vix credas. Num additum hoc à Græcis interpretibus, unde Evangeliſtæ illud ſumerent? vides quod

quod non. Quid ergo, Num מאד & ἰσχὺς & διάνοιαν denotat? In hoc vertitur cardo quæstionis. Quod ἰσχὺς denotat, nemo negaverit, & *Mammonam* denotare supponunt Rabbini, quibus consonant *Syrus* & *Targumista*, ast ubi significatio τῆς διανοίας?

I. Audi glossam talem, qualis erat frequentissimè Doctorum Allegoricorum.

Beracoth. fol. 54. 1. בכל מאדך ובכל מדה ומדה שהוא מודד לו מאד מאד לך הוי מודה. *Quacunque mensura ille tibi mensuraverit, esto tu eum laudans valde valde.* Lusitant ut vides, in consonantia vocabulorum מאד & מדה & מודה, quod iis usitatum.

Aben Ezra. מאדך *Esi de sensu* מאד מאד *valde valde, & hoc vult: Plurimum dilige eum quantum potes, & sit dilectio perfecta in corde.*

II. Quibus addas si velis, illud quod tam vulgariter requiritur ab iis in omnibus religiosis officiis, viz. כוונת לב *Præparatio & Intentio* διανοίας, & ex omnibus hisce licet concipere, hanc fuisse vulgarem interpretationem hujus clausulæ ובכל מאדך. & ἐξ ὅλης τῆς διανοίας non inaniter, sed ex necessitate aliqua additam, cum obscuritas aliqua esset in voce מאדך, & in promptu esset, ad vim vel potentiam corporalem aut externam tantum, eam applicare. Redduntur ergo ab Evangelistis verbo *Mosis*, non præcise & sicut erant verbatim in *Mose*, aut Schedulis Phylacteric is, sed secundum plenum eorum sensum & tenorem, & secundum receptam & vulgarem interpretationem gentis.

Hieros. Sotah. fol. 21. 2. *R. Levi bar Chaiothah profectus est Cæsarem, atque audit eos* קריין שמע אלוניסתין *recitantes Shemaa* [vel Phylacteria sua] *Hellenistice*, [Græcè,] &c. Ancum hac quam tractamus clausula interserta, inane foret quærere, quia impossibile invenire: at si eam inclusam intra vocem מאדך opinarentur Hebræi quod videtur, probabile est Hellenistas eam Græcè habuisse expressam.

Omittere non possum non observata verba Hierosolymitanorum jam producta. שמע קלון קריין שבע. Quid autem sibi vult קלון? *Aruch* hæc allegans sic habet, שמע לון דהוו קרו שמע Ut קלון sit idem cum לון, & ק videatur redundare quod apud Babylonicos facit usitatissime, ast apud Hierosolymitanos vix unquam.

II. Se-

II. Secundu n, quod in reſponſo hujus hominis obſervandum, eſt, quod addat, *Et proximum tuum ſicut teipſum*; quod ſcriptum quidem non erat in Schedulis Phylactericis: opinarer ego aliter, hominem, verba ſalvatoris Πῶς ἀναγινώσκεις, ſic intellexiſſe ac ſi dixiſſet, Quomodo recitas periochas tuas Phylactericas, nam periochen Phylactericam recitat, hanc clauſulam tantum ſuperaddens, *Et proximum tuum*, &c. Atque uſitata Phraſiologia circa recitationem Phylacteriorum erat שמע קורין ad verbum *Legunt Shemaa*, quod & ſic redditur à nonnullis, cum quidem vulgo recitarent memoriter. Sic *Megillah*, fol. 17. 1. הקורא מגילה על פה. *Qui legit librum* [Æſtheræ] *oraliter*, id eſt, ut explicat Gemara, *Abſque libro*: hoc eſt, *qui recitat memoriter*. Quærunt in

Hieroſ. Beracoth. fol. 3. 3. *Quare recitant duas iſtas Periochas unoquoque die?* Deut. vi. 4, &c. & xi. 13, &c. *Rabbi Levi dicit, Quia decem præcepta* [Decalogi] *comprehenduntur in iis.* Et oſtendit ut comprehendantur, omiſſo tamen, quod obſervandum, præcepto ſecundo. Fatentur tamen paulo poſt, *Æquum fuiſſe ut recitarent ipſum Decalogum unoquoque die, at non recitaſſe, Ne dicerent Hæretici, Quod præcepta tantum iſta data eſſent Moſi in monte Sinai.* At recitarunt periochas iſtas Phylactericas, in quibus autumarunt ſummam Decalogi fuiſſe contentam.

Sive igitur legiſta hic noſter, intellexerit verba ſalvatoris, ut ad recitationem iſtam referentia, ſive quod depromat ille *proprio judicio* ſummam Decalogi, Doctorem textualem hic ſe oſtendit potiùs, quam traditionalem, quamvis titulus Νομικὸς videatur poſteriorem potiſſimum indigitare.

Ver. 29. Καὶ τίς ἔστί μου πλησίον;

Scrupu'um hunc & quæſtionem didicerat ille ex communi ſchola: Ubi ſic doctum.

Aruch in בן בריה. הוציא כל אומות באמרו רעהו *Excipit omnes Gentiles cum dicit* Proximum ſuum.

Maimon. in רוצח cap. 2, *Iſraelita qui occidit* נר תושב *Advenam inquilinum non occiditur propter eum à Synedrio, quia dicitur* כי איש על רעהו *Si ſuperbierit quis in proximum ſuum. Et non neceſſe eſt dicere, Non occiditur propter Gentilem.* Nam

hi

hi non æſtimati ſunt ab iis pro *Proximo ſuo.*

Ibid. cap. 4. *Gentibus inter quos, noſque non eſt bellum, ut & paſtoribus inter Iſraelitas pecudum minutiorum & conſimilibus, non machinantur quidem mortem, at ſi de morte periclitantur, non liberant eos. E. g. ſi quis horum ceciderit in mare, ne eripiat eum, nam dicitur, Non inſurges in ſanguinem proximi tui,* לא תעמד על דם רעך *At talis non eſt proximus tuus.*

Ver. 30. Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ εἰς Ἰεριχώ.

Via, qua nulla in tota terra Iſraelitica magis trita & frequentata, idque non ſolum quod duceret in *Peræam*, ſed propter magnum commercium inter iſtas urbes, præſertim vero ob Ephemerias verſantes in *Jerichunte*, æquè ac in *Hieroſolymis*; de qua re aliquid diximus ad cap. 1. 5. addamus hoc ex

Hieroſ. Taanith. fol, 67. 4. *Inſtituerunt Prophetæ priores viginti quatuor Ephemerias, & pro unaquaque Ephemeria* היה עמוד בירושלם *erat claſſis ſtationaria Hieroſolymis ſacerdotum Levitarum & Iſraelitarum. Tradito. Viginti quatuor millium erat Stationarius numerus ex Hieroſolymis* וחצי עבור מיריחו *& dimidia ſtatio ex Hierichunte. Et potuerat Hiericho produxiſſe totam ſtationem, niſi quod vellet cedere præeminentiam Hieroſolymis, produxit ergo dimidiam tantum ſtationem.*

Hinc videas quare in hiſtorica hac parabola, mentio peculiariùs fiat *ſacerdotis* & *Levitæ* hac itinerantium, nempe quod talium foret frequentiſſimus inter urbes iſtas intercurſus ob prædictas ſtationes.

Λῃσταῖς περιέπεσεν.

Video qua fiducia, at non video quo fundamento *Adummim* fiat ſcena hujus ſtragis à commentatoribus, præ omnibus aliis locis. Periculoſa quidem ſatis erat via ab *Hieroſolymis* ad *Jerichuntem*, atque inde ſtata illic eſt *Cohors* 1. *ſalutaria inter Æliam & Hierichunta*, apud Notit. Imper. Orient. ob auxilium viatorum, ut vulgo creditur: At dum dicitur, quod vocatus eſt locus *Adummim*, i. e. *locus ruforum vel rubentium, propter ſanguinem,*

qui

qui illic crebro à latronibus funditur, parum hæc suadent: Nam dictus est *Adummim* etiam temporibus *Josuæ*, cum vix concipias, tempora fuisse adeo λησεικὰ ac erant, cum salvator hanc proponit parabolam. Vid. *Josu.* xv. 7. Ubi si situm *Ascensus Adummim* observes, non admodum distabat ab ipsa *Jerichunte*.

Ἡμιθανῆ.

נוטה למות Rabbinis. *Morti proximum*: ultra quam conditionem, & citra mortem, hoc tantum est, quod est גוסס *Jam expirans*.

Ver. 31. Ἰδὼν αὐτὸν ἀντιπαρῆλθεν.

Et quare tandem ô Sacerdos, & Levita miserum sic derelinquitis? Num non ille *Israelita*? Gentilem certe morti proximum, non fovere aut liberare, didicistis ex propriis Scholis, ut & *Israelitam* pastorem pecudum, & num ille talis? An, metuitis vobis ipsis ne ab eo contrahatis immunditiem jam Semimortuo? Ἀντιπαρῆλθεν videtur innuere, præteriisse eos, observata aliqua ab eo distantia: qua ratione ipsi dicant. Ego dixerim, ex puro puto defectu charitatis.

Ver. 33. Σαμαρείτης δέ τις.

Johan. 4. 9. Οὐ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. *Non utuntur Judæi Samaritanis*, ut iis ob aliquod beneficium devinciantur. At tune beneficentiam Samaritani jam respuis, ô Semimortue Judæe?

Introducitur homo, de gente Judæis inimicissima, Judæo benefaciens, ut planiùs edoceatur *Quisnam sit Proximus*. Convenientius dictum videretur, quod Samaritanus agnoverit vulneratum, pro proximo, cum ejus ita misereatur, verum innuit salvator Samaritanum fuisse *Proximum* vulnerati, ut doceat etiam inimicum, etiam extraneum, contra doctrinam Scholarum, habendum esse pro *Proximo*.

Ver.

Ver. 34. Ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον.

Hieros. Beracoth. fol. 3. 1. Traditio. סכין אלוונתית להולה בשבת *Ungunt emplastrum pro ægro in Sabbato. Quando? Quando illud commiscuerant vino & oleo vesperiis Sabbati. Verum si non commiscuerant vesperiis Sabbati, prohibetur. Traditio. Dicit R. Simeon, ben Eleazar, Miscere vinum & oleum, atque ungere ægrum Sabbato, permissum est à R. Meir.*

Ver. 35. Ἐκβαλὼν δύο δηνάρια.

Aruch. in זוז. *Siclus legis est* כלע *Selaa, & continet quatuor denarios.* Tum Hemisiclus continet duos. Pretium annuatim pendendum ab unoquoque, pro redemptione animæ aut vitæ suæ, Exod. 30. 13. Et non incongrue pro reparatione vitæ hujus semi mortui, numerantur etiam duo denarii.

Ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ.

Rabbinis פונדקי. Nam & vocem Græcam retinent illi. Græcam dico, quamvis Author *Aruch* dicat esse Ismaeliticam vel Arabicam. חנות בלשון ישמעאל פונדק *Taberna* vel diversorium, inquit ille, *lingua Ismaelitica est Pandak.* Vocem istam adhibet quidem versio Arabica hoc in loco, at nemini ignotum, cujas sit originaliter.

Midras Tillin. fol. 6. 3. *Duo homines ingressi sunt* פונדק Πανδοχεῖον *Justus & Improbus, & discubuerunt separatim. Dicit improbus* לפונדקי Τῷ Πανδοχεῖ. *Appone mihi* פסיוני אחד *Phasianum unum. Appone mihi* קונריטון *Conditum. At Justus dixit* Τῷ Πανδοχεῖ *Appone mihi tortam panis, & patinam lentium. Irrisit improbus Justo dicens, Ecce ut hic stultus, cum præsto sint tot dapes, comedat lentes. Et Justus illi vicissim, Ecce ut hic stultus comedet, cum illico elidendi sint ejus dentes. Dicit Justus* לפונדקי Τῷ Πανδοχεῖ, *Da mihi duo pocula vini ut benedicam. Dedit illi, & ille benedixit, & exurrexit, & dedit* Τῷ πανδοχεῖ *nummum pro portiuncu-*

uncula illa quam comederat, & diſceſſit in pace. Aſt improbo orta eſt lis cum hoſpitalario circa ſolutionem, & Παιδοχόος ejus eliſit dentes.

Ver. 38. Μάρθα ὑπεδέξατο αὐτὸν, &c.

Adeſt jam Chriſtus ad feſtum Scenopegiæ: atque inviſit *Bethaniam*, ubi antea interceſſerat familiaritas inter eum & familiam *Lazari*, ob ejectionem dæmoniorum ex *Maria* ſorore ejus: quam *Magdalenam* dici promptum mihi eſt ſuſpicari, quod ipſa *Bethania* dicta fuerit *Magdala*. De nomine *Martha* diximus ad *Johan.* xi. & de *Magdala* ad *Johan.* xii.

CAP.

CAP. XI.

Ver. 1. Δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι καθὼς καὶ Ἰωάννης.

QUIDNAM tandem hic diſcipulus, quicunque ille fuerit, ſibi vult?

An ille ignarus, vel oblitus formulæ iſtius quam Dominus tradiderat in ſermone in monte? Si non, ſed & aliam requireret. Num hoc vult? Domine doce nos orare, *nam* Johannes docuit ſuos. An illud? Doce nos orationis normam & formam ſimilem iſti, quam Johannes docuit ſuos. Poſterius videtur probabilius, ſed interim in obſcuro eſt, qualeſnam forent Orationes *Johannenſium*; in cujus rei indagationem his utamur faculis.

I. Dicitur de *Johannis* diſcipulis, Νηστεύουσι πυκνὰ καὶ δεήσεις ποιοῦνται, *Luc.* v. 33. Ubi varia ſuadent Δεήσεις hic ſumi debere ſenſu ſuo maxime proprio, pro Orationibus ſupplicatoriis. Omiſſis aliis hæc duo penſitentur.

I. Quod orationes Judæorum quotidianæ & vulgares, ordinariæ & occaſionales, conſtiterint ut plurimum ex Benedictionibus & Doxologiis, quod ſatis indicat titulus Tractatus Talmudici qui de orationibus agit, cum inſigniatur ברכות *Benedictiones*, ut & quod תפילה *Tephillah* quæ erat generalis orationis nomenclatura, idem genti ſonaret quod שבח *Laudatio*. Benedictio Scil. vel Doxologia.

Non indigna exſcriptione, hujus rei illuſtrandæ ergô, ſunt iſta.

Beracoth. fol. 31. 1. יכול ישאל אדם צרכיו ואחר יתפלל *Forſan homo precatur pro neceſſariis ſibi, & poſtea orat. De hoc dictum eſt olim per Solomonem cum dicit.* אל הרנה ואל התפילה 2 Reg. 8. 28. Omittimus verſiones, nam ipſi Gemariſtæ interpretantur. רנה זו הפולה תפילה זו נקשה *Rinnah eſt Tephillah, Tephillah eſt Bakkeſhah.* Hoc ſibi volunt. Prius vocabulum Solomonis רנה *Rinnah ſignificat orationem* [תפילה של שבח ut Gloſſ. *Orationem laudatoriam* vel doxologicam. Poſte-

rius vocabulum תפילה *Tephillah significat Petitionem* [Gloss. Petitionem pro necessariis.]

Minime negandum est fuisse iis preces vel Orationes Petitionarias, sed copiosiores & numerosiores erant Benedictoriæ & Doxologicæ. Præsertim vero istæ quæ susæ sunt occasionaliter, vel ex emergenti. Perlege caput ultimum tractatus allegati, & judica de hac particula, & perlege totum tractatum & judica de re tota. Jam ergo

II. Jure supponendum est, quod *Baptista* suos docuerit formam orationis aliam penitus ab orationibus Judaicis: nam rationi maxime consentaneum est, ut is qui introduxit novam doctrinam [id est respectu Judaicæ novam] introduceret etiam novam formam orationum; Orationum scil. supplicatoriarum magis quam erat forma Judaica. Atque aliud Petitionum genus, quam quod continuere orationes Judæorum istæ quæ erant Petitionariæ. Nam docti erant *Johannenses* de regeneratione, de fide salvifica, de adoptione particulari, de sanctificatione spiritus, aliisque doctrinæ Evangelicæ articulis, qui omnino peregrini & alieni erant à Scholis & Synagogis Judæorum. Et quis non supposuerit *Johannem* pro istis atque istiusmodi rebus docuisse suos orare!

II. Credimus itaque Discipulum hunc qui Dominum orat ut doceat suos orare, καθὼς καὶ Ἰωάννης, orationes *Johannensium* tales respexisse, cum Christum videamus obsecrationi & voto ejus annuentem, formam Orationis tradere mere Petitionariæ. Quod & ex ipsa tota compage orationis constat, & ex hoc præsertim quod Coronis Doxologica *Quia tuum est regnum*, &c. omittatur. Nam Dominus orationem Δεητικὴν sive supplicatoriam, rogatus ut doceat, talem tradere, apud se statuit, quæ sit mere supplicatoria. Et huic rei attestantur ea quæ sequuntur de homine à vicino suo petente panes, addita & ista exhortatione, *Petite & dabitur, Quærite & invenietis.* Quæ duo optimè respondent duobus istis quibus notificatur oratio supplicatoria, quæ sunt שאלה *Sheelah Petitio*, & בקשה *Bakkeshah, Quæsitio*, nam liceat voce ista uti, verbo ad verbum. Inter has si quid differentiæ sit statuendum, ego hanc supposuerim, ut *Bakkeshah* sit pro rebus Dei, ut *Quærite* primum regnum Dei, &c. Et *Sheelah* sit pro necessariis sibi. Quam texturam videmus quasi æquilibratam in hac Oratione, ubi tres primæ petitiones sunt pro honore Dei, tres aliæ pro necessariis nobis.

Usitatum

Usitatum erat Judæis cum jejunarent, orationem adhibere peculiarem, & ad quotidianas additam quam vocarunt תפילת תעניות Orationem Jejunii. De qua agitur in

Taanith. fol. 11. Ubi & disputatur. An מתענין לשעות *Jejunantes ad certas horas* tantum, & non per totum diem recitare deberent Orationem istam Jejunii. Ut &, *Quonam ordine & loco inter orationes quotidianas, interserenda sit ista Oratio.* Jam si detur *Johannem* instituisse suis orationem aliquam talem, inter alias, quæ aptaretur ad eorum jejunia: vix tamen credimus discipulum huncce eo speciatim respexisse, cum discipuli *Christi* non ita jejunarent ut *Johannenses*: quin potius ad totam compagem orationum, quas ille prò suis instituerat, quæ constiterunt maximè ἐκ δεήσεων, ex Petitionibus.

Object. At novit hic Discipulus ut probabile, Dominum tradidisse orationem Petitionariam in Sermone in monte, quid opus ergo ut urget, & qua ratione urget ut aliam jam tradat?

Resp. Credimus nosse, & arbitramur eum minime expectasse eandem repetitam: Sed cum oculus ejus intentus fuerit in orationes *Johannensium*, expectasse eum formam aliquam pleniorem & copiosiorem, & quæ particularius fusiusque exprimeret petenda, quod factum ut probabile in forma præscripta à *Johanne*. At novit divina sapientia salvatoris, satis in ista sua esse comprehensum. Et sicut inter Judæos erat כלל *summa brevis* octodecim suarum orationum, in epitomen contractarum, sic & hanc suam esse כלל summam brevem omnium petendorum.

Ver. 4. Μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν.

Aut fallor, aut hic fit supplicatio inter alia, si quidem, non primo loco, contra visibiles apparitiones Satanæ Τοῦ πονηροῦ ut & contra ejus obsessiones: & sic aliquantum mollescit Phraseologia de Deo inducente in tentationem.

Omittitur Coronis, *Quia tuum est regnum*, &c. quia Christo propositum est orationem mere Petitionariam tradere ut diximus ante: atque ipsissimæ istius rei ergò omittitur etiam *Amen*. Nam Ἐρεῖ Ἀμὴν ὅτι τῇ Εὐχαριστίᾳ, 1 Cor. 14. 16. & quidem terminarunt vulgatissime orationes suas in Εὐχαριστία vel Benedictione, etiam orationes petitionarias; sic concludentes, *Benedictus tu Domine*

mine qui ſic feciſti, vel *ſic præcepiſti*, vel aliquid tale, & tum reſponſum eſt, *Amen*.

Quod & in Pſalmis obſervare eſt librum aliquem Pſalmorum terminantibus, & deſinentibus in *Amen*. Viz. Pſal. xli. & lxxii. & lxxxix. & cvi. In quocunque enim ſubjecto verſatur Pſaltes, ſive per totum Pſalmum, ſive paulo ante prolationem *Amen*, non profert tamen *Amen* niſi prælibata aliqua Benedictione aut Doxologia. *Benedictus ſit Dominus Deus*, &c. *Amen*. Apud *Matthæum* ergo eſt *Amen* quia eſt Doxologia. Apud *Lucam* deeſt, quia deeſt & iſta. Plura obſervavimus ad *Matth.* 6.

Ver. 15. Ἐν Βεελζεβὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων.

I. De nomine diximus ad *Matth.* xii. & adhuc lectionem ejus per *l* in fine *Beelzebul* fidenter aſtruimus, contra verſiones Syram, Perſicam, vulg. alias, quæ legunt *Beelzebub*. Italus caute, ſed non caſte ſatis, habet *Beelzebu*, ut nec in hanc lectionem impingat nec in illam, ſed fidem & candorem interpretis deſidero.

II. Inter Judæos comperio tres Dæmones vocatos *Principes Dæmoniorum*. I. *Angelum mortis*, qui nuncupatur ראש כל השטנים *Princeps omnium Satanarum*. Elleh haddebharim rab. fol. 302. 2. II. שידא אשכודון *Dæmonem Aſmodæum*, de quo poſtea. III. *Beelzebul* hoc in loco. Et quoad aſſertionem ſcriptionis per *l* in fine & non *b*.

III. Quæro an *Beelzebub* jam fuerit in rerum natura. Nam cum evanuerat ipſa *Ekron*, nonne & evanuerat iſtud loci numen? & cum non foret amplius Idolum, & oraculum illud *Ekroniticum*, nonne ceſſavit iſtud dæmonium eſſe *Beelzebub*, quamvis non ceſſaret eſſe dæmonium? Ubicunque tandem foret *Ekron* ſub templo ſecundo, aut locus ubi ea ſub primo, vix perſuaſeris extitiſſe tunc temporis vel Idolum vel oraculum *Beelzebubicum*, & ubi tum ipſe *Beelzebub*. An *Achores Deus tutelaris contra muſcas apud Cyreniacos*, ut *Plin.* lib. 10. 28. aliquid in nomine ſapiat de *Ekrone* non diſputabimus. Detur quod ſolum verterit, atque aliqua de cauſa quod migraverit jam *Beelzebub* ab *Ekrone* ad *Cyrenen*, unde tandem ille *Princeps Dæmoniorum*, cum negotium, & potentia ejus, ſolum contra muſcas?

Suſpicari

Suſpicari quidem poſſim, eum fuiſſe primum Dæmoniorum, vel *Baalim*, quos introduxerat *Achabus* in Iſraelem, atque ideo *Achaziam* filium ejus, ad iſtud Idolum, ut Deum patris ſui, confugiſſe in periculo & dolore ſuo; ſed quid ſæcula longe ſubſequentia moveret, ut iſtud Dæmonium *Beelzebub* æſtimarent pro *principe Dæmoniorum*, fateor me non poſſe mihi ipſi ſatisfacere: At de *Beelzebul* eſt ſatisfactum.

IV. Oſtendi ad *Matth.* xii. cultum Idololatricum à Judæorum magiſtris, [quales hi erant qui cum ſalvatore rixantur] זבול *Zebul*, vel *ſtercus* vocari, in rei ignominiam, atque ita erat gens, docta à magiſtris. Exempla quædam in rei iſtius probationem adduxi, quibus & hoc addatur.

Midras Schir. fol. 2. 1. *De Joſepho dicitur* [cum hera ejus eum allicere vellet ad adulterium] *quod venit in domum ut perageret negotia ſua. R. Judah dicit.* יום ניבול וזיבול היה *Erat dies ſtulteſcendi, & ſtercorandi, erat dies theatrorum.* Ubi ſuper vocabulum זיבול *Zibbul, Stercorationis*, ſic Gloſſ. *Eſt vox contemptûs: & ſic in tractatu Avódah zarah exponitur à R. Sol. & Toſaphoth, quod ſcil. ſignificat* זיבוח *ſacrificare* [Idolis] *& probant ex Hieroſ. Beraceth, ubi dicitur, Qui videt locum* אשר מזבלין שם לעז *ubi ſtercorant* [id eſt ſacrificant Idolo] *dicat ſacrificans Diis alienis ſit Anathema:* quæ verba ex *Hieroſ.* nos etiam adduximus.

V. Jam ergo cum cultus Idololatricus fuerit iis *Zebul*, atq; ipſa Idololatria peccatorum & criminum graviſſimum, Dæmona, quem conceperunt huic male præſidere, vocarunt *Beelzebul*, atque reputarunt pro Principe dæmoniorum, aut [detur venia vocabulo] pro Dæmone dæmoniſſimo.

VI. Parem titulum tribuerunt Dæmoni *Aſmodæo.*

Gittin. fol. 68. 1. אמוראי מלכא דשידי *Aſmodæus rex Dæmoniorum.*

Vajicra rabb. fol. 70. 2. שירא שריהון דרוחתא *Dæmon princeps Spiritum:* quod *Bereſh. rabb.* fol. 39. 3. explicatur שירא שמדון *Dæmon Aſmodæus.* Nam utrobique eſt ridicula hæc fabula. *Peperit quædam fœmina filium nocte, & dixit filio* [jam recens nato] *Ito & accende mihi lucernam, ut umbelicum tuum ſcindam. Proficiſcenti ei occurrit Dæmon Aſmodæus, & dixit ei, Ito & dic matri tuæ, quod niſi gallus jam cecinisſet, ego te interfeciſſem*, &c.

Ipſum

Ipſum nomen fatur *Apoſtaſiam*, non tam quod Diabolus fuerit Apoſtata, quam quod hic dæmon provocaret ad Apoſtaſiam. *Beelzebul* inter Ethnicos author Idololatriæ, & *Aſmodæus* inter Judæos author Apoſtaſiæ. An nomen & Dæmonium inventum fuerit à Judæis in terrorem Samaritarum. Quære

Bereſh. rab. loco allegato, col. 4. *Cum Noachus iret plantatum vineam* אפנע בו שירא שמרון *occurrit ei Dæmon Aſmodæus, & dixit* שותפי עמך *Particeps ſim ego tecum*, &c. Supponunt, ut videtur, quod Dæmon iſte promoverit ebrietatem *Noachi*.

Bemidbar. rab. fol. 244. 17. כיון שחטא טרדו אשמראי *Cum peccaret* [Solomon] *impulit eum Aſmodæus*, &c. Angelum mortis vocant *Principem omnium ſatanarum* quia omnes homines nemine excepto, morte perdit.

Ver. 31. Βασίλισσα Νότου, &c.

I. Miror magis, quam intelligo, quid ille ſibi velit qui dicit in *Bava bathra*. fol. 15. 2. כל אומר כלבת שבא אשה היתה אינו אלא טעה *Quicunque dixerit quod Regina Sheba fuit fœmina, non eſt niſi errans.* מאי מלכת שבא מלכותא דשבא *Quid ergo eſt Regina Sheba? Regnum Sheba.* Num vult totum regnum *Sabæorum* adiiſſe *Solomonem*? Forſan tale quid in auribus ejus ſonuit illud quod dicitur, quod בחיל מלכת שבא *venit cum exercitu magno valde*: nam ſic redditur clauſula à nonnullis. Verùm ſi quid ambiguitatis eſſet in voce מלכת quæ quidem nulla eſt, & ſi quid de ea dubitarent interpretes, quod nullus dubitat, magnum oraculum veritatis hic docuit. Reginam adiiſſe *Solomonem*, At quare ille eam vocat *Reginam Auſtri*, non *Reginam Sheba*;

II. Plauſibilia quidem hic dicuntur de *Sheba* Arabum, de quibus non eſt hic locus diſputandi: ſuſpicamur potius Reginam hanc dici à ſalvatore *Reginam Auſtri*, non diſpari ſenſu ab eo, quo Rex *Ægypti* vocatur *Rex Auſtri* ſemel iterumque à *Daniele*. Regiones ab iſto cardine cœli, ſat notæ erant Judæis ſub iſto titulo, at quæro an *Saba Arabica* ſub eodem. Detur regiones aliquas *Arabiæ* nuperius dici *Aliemin* Auſtrales, at quæro an ab antiquo, & ſub temporibus Chriſti.

Cum

Cum hic dicatur quod Regina Auſtri venit ut audiret ſapientiam *Solomonis*, num foret patientia lectoris, audire inſipientiam Judæorum de re iſta? Quoniam dicitur, quod illa venit experimentum factura de ejus ſapientia, in Ænigmatibus, & acutis quæſtionibus, dicent illi quænam eſſent iſta ænigmata, & quæſtiones.

Midras Miſlæ. ſtatim ab initio, *Dicit illa ei, ſi ego te aliquid interrogavero num mihi reſpondebis? Dixit ille, Dominus dat ſapientiam. Dicit ea, Quid hoc eſt!* יצאין וט נננסין ז׳. *Septem exeunt & novem intrant.* שנים מוזגין זאחד שותה. *Duo miſcent* [vel parant poculum] *& unus bibit. Dicit ille, Septem dies ſeparationis fœminæ* [נדה] *exeunt, & novem menſes fœtationis intrant. Duo ubera parant poculum, & unus ſugit. Iterum, inquit illa, ego quæram: Quid hoc eſt. Fœmina dicit filio ſuo, Pater tuus erat pater meus. Avus tuus erat maritus meus, Tu es filius meus, & ego ſum ſoror tua.* Cui reſpondit ille ודאי בנות של לוט היו *Certè fil.æ Lothi erant.* Plura ſequuntur: ſed ænigmatum ſatis.

Ver. 33. ἐδεὶς ὃ λύχνον ἅλας, &c.

Difficilius eſt concatenare hæc cum præcedentibus: videntur ſic connecti. Nonnulli eum calumniabantur, ac ſi ejiceret dæmoniaper principem Dæmoniorum, atque alii petebant ab eo ſignum de cœlo, ver. 15. 16.

Prioribus reſpondet, ver. 17. 18. Et quidem utriſque, ver. 19. & porro. Et utroſque reſpicit hoc quod jam tractamus, poſteriores præſertim. Q. d. Requiritis à me ſignum. Num vultis ut accendam lucernam, & ponam ſub modio? Num vultis ut miracula edam, cum certum ſit vos fidem non habituros miraculis meis? quæ quamvis ſplendeant inſtar lucernæ accenſæ, quoad vos tamen incredulos, nihil aliud ſunt quam lucerna ſub modio.

Ver. 36. Ἔσαι φωτεινὸν ὅλον.

Videtur hæc clauſula ταυτολογίαν cum primâ, Εἰ οὖν τὸ σῶμα σε ὅλον φωτεινὸν, &c. De oculo loquitur ſalvator pro more ſcholarum,

rum, quibus *oculus non ſimplex vel malus*, erat animus avarus, invidus, malitioſus. Abſit talis animus, & adſit animus candidus, benignus, mitis, totus eris lucidus, & omnia erunt tibi lucida. Si in vobis eſſet talis animus, ô carpentes & blaſphemi, non tam ſordidè & cænosè judicaretis de meis miraculis, ſed lucidè & candide de iis conciperetis.

Ver. 38. Ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου.

Num ipſe Phariſæus ἐβαπτίσθη πρὸ ἀρίστου eo ſenſu quo Βαπτίζεσθαι ſignificat ablutionem totius corporis? Vix credideris, cum nec opus erat, nec in uſu erat ante cibum totum corpus abluere, ſed manus tantum. De qua re diximus fuſius ad *Matth.* xv. & *Marc.* vii. Unde hæc neceſſe eſt ut repetamus: Quod erat נטילת ידים *Lotio manuum* & טבילת ידים *Immerſio manuum*: Et hanc poſteriorem reſpicit Phraſiologia ſub manibus: Miratur Phariſæus quod Chriſtus manus non lavaret, imo quod in aquam non immergeret cum jam rediret ἐξ ἀγορᾶς· id eſt, Ἐκ τῆς ὄχλων ἐπαθροιζομένων, ver. 29.

Quanti æſtimarent lotionem manuum ante cibum, præter ea quæ adduximus alibi illud demonſtrantia, accipe ſingulare exemplum ex

Erubbin. fol. 21. 2. *Hiſtoria eſt de R. Akiba, quod erat vinctus in carcere, & miniſtrabat ei R. Joſua* הגרסי *lector. Attulerunt ei indies aquam per menſuram. Die quodam occurrit ei cuſtos carceris, & dicit ei, Hodie nimium aquæ habes--- Effudit dimidium, & dedit ei dimidium. Cum pervenisset ad R. Akibam, totam rem ei enarravit. Dicit ei* [*R. Akiba*] *Da mihi aquam ut lavem manus. Dicit alter, Non ſufficit aqua ut bibas, num ſufficit ut laves manus? Cui ille. Quid faciam, in re ubi eſt reatus mortis? Præſtat ut moriar ipſe* [*ſiti*] *quam ut tranſgrediar mentem collegarum*: qui ſic præſcripſerunt de lotione manuum.

Et paulo poſt. *Dicit Samuel* בשעה שתקן שלמה עירובין ונטילת ידים *Eo tempore quo Solomon inſtituit Erubbin, & lotionem manuum, prodiit Bath kol, & dixit Mi fili, ſi ſapiat cor tuum, lætabitur & meum.* Nota, *Solomonem* authorem lotionis hujus manuum: ſi credes modó.

Hieroſ. Beracath. fol. 2. 4. *Quicunque benedicit illico poſt lotionem*

tionem manuum, אין השטן מקטרג באותה שעירה *Satan non accusat eum, pro ista vice refectionis.*

Ver. 39. Ὑμεῖς οἱ Φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε, &c.

Hoc de ipsis personis, & non de vasculis dici, hæc planum faciunt.

I. Quia dicit τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν· Ut sensus sit, Vos vosmet purificatis ab extra, hujuscemodi ablutionibus, cum quod intra vos est, plenum sit omni rapina, &c.

II. Cum dicit οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, non de opifice patinarum aut poculorum loquitur, sed de Deo. Nam quale aliter formaretur argumentum? Opifex catinorum & poculorum fecit & partem exteriorem & interiorem. Quid ergo? Ergo purificate vos & extra & intra. Aſt respectu habito ad Deum, sic optime. Nonne Deus qui vos formavit ab extra, formavit etiam ab intra? Ergo, Expectat ut purificetis vos ab intra, æquè ac ab extra.

III. Vix ostenderis Pharisæos exteriorem partem poculi aut patinæ abluisse, non abluta etiam interiori. Duo tantum de hac re, ex ipsis istis authoribus proferamus.

Schabb. fol. 118. 1. *Catinos in quibus comedit vespere, abluunt ut comedat in iis mane. Mane: abluunt eos ut in iis comedat meridie. Meridie: Abluunt eos ut in iis comedat ad Mincham. Post Mincham ulterius non proluit iterum: Verum pocula, lagenas & utres proluit,* והולך לו כל היום כולו *Et sic it per totum diem*, &c.

Non tædium nobis aut lectori suscitabimus hæc explicando. Sufficit quod de ablutione solum est mentio, ut totius vasculi, non hujus & illius partis: & ablutio talium vasculorum erat per שטיפה *Immersionem.* Vid. Aruch in עשר

Pesachin. fol. 17. 2. *Omnia vasa* שיש להן אחוריים ותוך *quæ habent exterius & interius, si inquinetur interius eorum, inquinatur etiam exterius, at vero* נטמא נבו לא נטמא חוכו *Si inquinetur exterius eorum, non inquinatur interius.* Crederes hoc esse in rem præsentem, & asserere literalem sensum verborum quæ tractamus, pocula nempe & patinas quamvis immunda forent ab extra, ab intra tamen potuisse esse munda; & sat fuisse Pharisæo, si ea purificaret

rificaret ab extra tantum. At vascula de quibus hic mentio, interprete Glossatore, talia erant כהן כתוכן שהאויין להשתמש ובאחוריהן *quibus uti possis vel ab intra vel ab extra* indifferenter. Et nonnulla eorum memorantur à Gemaristis, viz. Sacci, manticæ, indumenta cervicalium at pulvinarium, &c.

Secundum literam ergo non loquitur hic salvator, ut nec *Matt.* xxiii. 25. cum dicit *Vos purificatis exteriorem patinæ partem*, &c. sed parabolicè & per similitudinem. Vos dum externis ablutionibus adeo studetis, non aliud agitis, quam si pocula & patinàs prolueretis ab extra tantum, dum interiùs interim omni pollutione squallent.

Ver. 40. Ἄφρονες.

שוטים Vox genti usitatissima.

Menacoth. fol. 65. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai dixit Baithusæis* שוטים Ἄφρονες *unde hoc probatis?*

Vajicra rabb. fol. 197. 3. *Esauus dixit* שוטח היה קיז *Stultus fuit Cain.--- Pharaoh dixit* שוטה עשו *Stultus fuit Esauus--- Haman dixit* טוטה היה פרעה *Stultus fuit Pharaoh. --- Gog & Magog dicturi sunt* שוטים חראשונים *Stulti fuerunt omnes qui nos antecesserunt.*

Hinc vulgò שוטה שב עולם *O stultissime omnium qui sunt in mundo.*

Ver. 41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην.

Ironicè dictum quantum ego judico, & irrisâ sententiâ eorum, de eleemosyna.

I. Nonne hæsitare licet de versione vocis τὰ ἐνόντα, ut non significet solum *Quod superest* ut vulg. vel *Quod penes vos est* ut Beza: vel aliquid istiusmodi, quod referendum est ad opes mundanas, sed aliquid quoq; quod referendum ad doctrinas & dogmata. Ac si sensus esset, *Ea autem quæ apud vos extant*, id est quæ obtinent, & valent, sunt, *Date eleemosynas, atque omnia vobis sunt munda.* Quum observo apud Talmudicos, ut adhibeatur vox אית & איתא *Est*, cum ponitur aliquid & determinatur [& speciatim cum occurrit איתא חמי quæro an idem sit cum חמי.

חמי תא *veni, vide*, an non potius *Eſt, vide*] aliquantum ſuadet ἐνόντα hoc in loco eodem ſpectare. Vos interius pleni eſtis omnimoda rapina; at determinationes ac dogmata quæ apud vos obtinent, ſunt *Date eleemoſynas*, &c.

II. Ateſto quod τὰ ἐνόντα denotet, *quod ſupereſt*, vel *quod penes vos eſt*, nam hîc tenaces non ſumus, vix tamen perſuaderis ſalvatorem hæc ut propria ipſius, quin potius ut propria ipſorum verba proferre. Nec arbitror eum directe hic loqui, aut directive, ſed ipſorum dogma citare potiùs, cum diſplicentia & irriſione. Nam revera ab ipſorum incude prodierat opinio, quod Eleemoſyna ad expiationem, ad juſtificationem, ad ſalutem, ad omnia valeret. Hinc vulgaris ejus apud illos nomenclatura צדקה *Juſtitia*. Unde eſt quod in innumeris fere locis in ſacra ſcriptura, ubi celebrantur laudes, & enuntiantur beatitudines *juſtitiæ* applicent illi ad Eleemoſynam. Unum habe pro multis.

Bava bathra. fol. 9. 1. *Rabb Aſai dicit* שקולה הצדקה כנגד כל המצוות *Eleemoſyna æquipollet omnibus præceptis.*

Ibid. fol. 10. 1. *R. Judah dicit, Magna res eſt Eleemoſyna, nam accelerat redemptionem.* Scribitur צדקה תציל ממות *Juſtitia* [i. e. Eleemoſyna] *liberat à morte.--- Eleemoſyna liberat à morte repentina, & liberat à judicio Gehennæ.*

R. Meir dicit, ſi impius quis tibi objiciat, ſi Deus veſter amat pauperes, quare eos non paſcit? reſponde, ut nos propter eos liberemur à judicio Gehennæ: id eſt propter eleemoſynam iis exhibitam.

Et vereor ne Græci interpretes micam aliquam ejuſdem ſalis ſaperent, cum aliquoties reddant צדקה *Juſtitiam* per Ἐλεημοσύνην.

Jam ergo judica an ſalvator doceat rapinam, injuſtitiam, injuriam, mundari per eleemoſynam, vel tale quid conſilii iis dare, cum illi ſat ſuperque erant tali doctrina imbuti.

Ver. 45. Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Νομικῶν.

Difficultatis aliquid hoc ſecum fert, quod cum in commate præcedenti, ſit *væ vobis Scribæ & Phariſæi*, hic non ſit Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν Γραμματέων, ſed τις τῶν Νομικῶν quem ſcrupulum forte vulg. interpres obſervans, clauſulam iſtam, *Scribæ & Phariſæi* omiſit penitus.

Invehitur

Invehitur Christus speciatim & nominatim in *Phariſæos*, ver. 37, 42, 43. at conjungit tandem cum iis Scribas, ver. 44. Exinde cavillatio & quærela Jhujus Νομικῶ· ſive quod *Scribas* nominaverat in terminis, ſive quod de nihilo accuſaverat Phariſæos, de quo etiam non accuſari poſſent Scribæ. Nam quæramus ab hoc ipſo Scriba. Nonne ipſe lavit manus ſuas ante prandium æque ac Phariſæus? Omnes enim Judæi ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, &c. Marc. 7. 3. Nonne decimavit ille mentham & rutam æque ac Phariſæus? cum מעשר ירק מרבנין *Decimatio olerum inſtituta fuerit à Rabbinis, Joma* fol. 83. 2. verbo omnia, paſſibus æquis incedunt Scribæ & Phariſæi in oratione iſta, huic pari, *Mat.* xxiii. Ubi Chriſtus de ipſiſſimis iiſdem cauſatur in Scribas, de quibus hic in Phariſæos. Ita ut planum ſatis ſit quare querulus ſit hic homo, ſed obſcurum quare Νομικὸς appelletur, potius quam Γραμματεύς.

I. Non facile eſt diſtinguere inter Scribas & Phariſæos, niſi quod Phariſaiſmus fuerit tumor & extuberantia quoad, ſuperſtitionem & auſteritatem religionis, ſupra ſtatam & communem normam gentis, imo ipſorum Scribarum. An diſtinctio inter יחיד *Singularem* & תלמיד *Diſcipulum*, diſtinctionem aliquam talem in auſteritate religionis innueret non dicimus, ſed iſta tantum coram oculis lectoris proponimus ex

Taanith. fol. 10. 2. *Tradunt Rabbini, Ne dicat quiſquam,* אני ראוי לחיות יחיד תלמיד אני *Ego ſum Diſcipulus Ego non idoneus ſum qui ſiam ſingularis.*

Gloſſ. *Ego non ſum idoneus, qui incipiam jejunia cum ſingularibus.*

Et Gemara paulo poſt. *Tradunt Rabbini, Omnis qui vult facere ſe ſingularem, ne faciat: at ſiquis vult ſe facere Diſcipulum faciat.*

Et tandem: אין תלמיד חכם רשאי לישב בתעניות *Non licet Diſcipulo ſapientis perſiſtere in jejuniis* שממעט במלאכת שמים *quia ſic diminuit de opere Dei*, i. e. ceſſat à diſcendo aut docendo.

Crederes hic plane diſtingui Phariſæum inter & alium, & tamen ſic Gemariſtæ eodem in loco כל תלמידי חכמים יחידים *Omnes diſcipuli ſapientum ſunt ſingulares.* Et quærunt tamen איזהו יחיד ואיזהו תלמיד *Quiſnam eſt ſingularis & quis nam eſt diſcipulus? Singularis, eſt illi qui dignus eſt* למנותו פרנסת הציבור

nt

ut præficiatur paſtor Synagogæ. Diſcipulus eſt ille, qui ſi interrogent eum aliquid de traditione in doctrina ſua, habet reſpondere. Per *Diſcipulum* igitur intelligunt, non eum qui jam diſcit, ſed qui antea didicit, & jam docet. Aſt alibi utrumque hoc applicant ad Diſcipulum ſapientum.

Schab. fol. 104. 1. *Dicit R. Jochanan Quiſnam eſt diſcipulus ſapientum? Ille quem præficiunt Synagogæ paſtorem: ille qui ſi eum interrogent de traditione quovis in loco, habet reſpondere.* Differentia inter hos, utcunque hic ita confundantur, hæc erat. Quod תלמיד Diſcipulus, reſpondere poſſet tantum dubiis & quæſtionibus בלמודו ex iſto loco aut ſubjecto petitis, de quo ille doceret, & prælegeret. At יחיד *Singularis* reſpondere poſſet de quæſtionibus ex *quovis loco excitatis* בכל מקום אפילו במסבת כלה *etiam ex tractatu de ſponſa.* Umbram aliquam Paſtoris & Doctoris, Ποιμένων καὶ Διδασκάλων, Eph. 4. 11. videre hic mihi videor, cum תלמיד *Diſcipulus*, fuerit quidem Doctor, & יחיד *Singularis*, *Paſtor Synagogæ.* פרנס על הציבור Et forſan hæc obſervata lucem aliquam præbebunt, quoad iſtum locum Apoſtoli.

II. Sicut תלמיד *Diſcipulus* & יחיד *Singularis* aliquando confunduntur, aliquando diſtinguuntur, ſic etiam *Scriba & Phariſæus.* Confunduntur aliquando, nam plurimi de Phariſæis erant Scribæ: Et diſtinguuntur etiam nam Plurimi ex iis erant de vulgo & non Scribæ. Et non improprie dixeris, erant Phariſæi clerici, & Phariſæi Laici.

Ille quocum res nobis jam eſt, erat *Scriba* ſed non *Phariſæus*, at non facile dictu, quare vocetur Νομικὸς & non *Scriba.* Conjecturis hic locus tantum eſt, & non demonſtrationibus: & hiſce conjecturis detur venia.

I. Concipimus Νομικὺς & Νομοδιδασκάλους opponi *Sadducæis*, quibus quidem opponebantur *Phariſæi* directiſſima linea: quippe quod iis adverſarentur in ritus practicando traditionales quantum quidem fieri potuit, & hi in doctrina traditionali, plus ſatis. Nam habuerunt & Sadducæi *Scribas* vel doctores ſuos, æque ac pars altera: & frequentiſſima mentio apud Talmudicos de סופרי צדוקין *Scribis Sadducæorum.* Atque ex hac Antitheſi opinamur *Rabban Gamalielem* dictum Νομοδιδάσκαλον, Act. v. 34. Nam erat tunc temporis conventus partium Sadducæarum, ver. 17. & cum inter eos *Gamaliel* ſermocinaretur, ex parte altera, non

arduum

arduum eſt conjectare quare vocetur Νομοδιδάσκαλος. Pari ratione, arbitramur hunc noſtrum dictum eſſe Νομικὸν, non *Scribam*, quia & inter Sadducæos erant *Scribæ*.

II. Concipimus igitur Νομικὸς & Νομοδιδασκάλους fuiſſe Doctores legis traditionarios: De *Gamaliele* Νομοδιδασκάλῳ, res eſt extra omnem controverſiam, & ſi aliqua foret diſtinctio inter Νομικὸς & Νομοδιδασκάλους, in hac re tamen arbitramur eſſe nullam. Perpende bene illud in

Hieroſ. Schabb. fol. 15. 3. *Traditio. R. Simeon ben Jochai dicit. Qui verſatur* במקרא *in textuali legis explicatione, menſuram habet quæ non eſt menſura. Qui verſatur in Miſnah, menſuram habet de qua recipiunt præmium. At ſi verſetur in Talmud. non eſt menſura, hac major. Curre ſemper ad Miſnam potius quam ad Talmud. At dicit R. Joſe b. R. Bon. Hoc quod dicis, obtinuit priuſquam Rabbi immiſcuerat ei plurimas traditiones, aſt ex quo ille immiſcuerat ei plurimas traditiones, ſemper curre ad Talmud potius quam ad Miſnam.*

Jam quæſo, quiſnam ſecundum hanc traditionem dignus eſt titulo *Doctoris legis*, Νομικῦ vel Νομοδιδασκάλου? Ille qui verſatur במקרא in explicatione atque interpretatione legis ſcriptæ, atq; ipſius contextus, vah ille parum agit, & pro opera & oleo menſuram reportat quæ non eſt menſura: At ille qui verſatur in Miſnah & Talmud, in doctrina traditionali, in explicatione legis traditionalis, ille palmam fert & dignum præmium reportat, ille dignus titulo Doctoris.

III. Siqua ſit diſtinctio inter Νομικὸν & Νομοδιδάσκαλον, quod vix credimus hæc ſupponatur, vel quod Νομοδιδάσκαλος ſcholam ſuam habuerit, & Diſcipulos. Νομικὸς autem non, vel quod Νομικὸς in *Miſnah* verſaretur, aut in literali & plana traditionum explicatione, Νομοδιδάσκαλος autem in *Talmud.* aut modo eos docendi profundiori, & magis ſcholaſtico. Utcunque, ſive fuerit hæc inter eos diſtinctio, ſive alia, ſive nulla, arbitramur utrumque fuiſſe Doctorem Traditionum, atque interpretem legis, ut vocarunt, oralis, in Antitheſi ad Scribas, ſive inter Judæos, ſive inter Sadducæos, qui operam dederunt explicationi legis textuali.

Ver.

Ver. 46. Καὶ αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ ψαύετε.

Quod Νομικοὶ forent, ut dicimus, *Doctores traditionum*, ex hoc roboratur, quod illa quæ iis exprobrat ſalvator hoc in loco, eſſent traditionalia: hoc ſpeciatim quod *jugia traditionum ita onerarent homines*, &c. Ipſi autem ne digito uno ea tangerent aut moverent.

Obtinet vulgo hæc interpretatio, vos aliis onera gravia imponitis, dum interim vobiſmet ipſis indulgetis, atque ea ferre & ſubire reſpuitis. Quam interpretationem ſane admittimus, at quærimus tamen, an & aliud quid non includatur. Nam cum, *Ille qui levia ſibi ipſi præſcriberet & gravia aliis*, & vulgo haberetur & vocaretur רשע ערום *Improbus aſtutus*, Sotah. cap. 3. hal. 4. cumque frequentiſſima ſit mentio de Rabbino hoc aut illo המחמיר על עצמו *qui aggravavit hoc aut illud onus ſuper ſeipſum*, a quo tamen abſolvit alios, in dubium vocari poteſt, an interpretatio iſta tam vulgariter recepta, totum illud enuntiat, quod eſt in animo horum verborum.

Suſpicor ſalvatorem, non ſolum indulgentias eorum ergo ſeipſos, dum alios oneribus premerent, redarguere, ſed & ſeveram eorum tenacitatem circa propria ſtatuta. Statuta Dei levia fecerunt pro ſuo libitu, at de ſtatutis propriis ne minimum ponderis diminuatur. Legem divinam ut elevent admovent utramque manum, aſt ut propria ſtatuta, ne digitum quidem unum.

Ver. 49. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν.

Congruit hæc forma loquendi cum uſitatiſſima iſta אמרה מדת הדון *Dicit norma judicii*. Inter infinita exempla ſumamus illud tantum Targumiſtæ in Thren. 2. 2. *Num convenit ut filiæ Iſraelis comedant fructum uteri ſui.* ענת מידת דינא *Reſpondit norma judicii* [juſtitia retributiva] *& dixit* אם חזי *Num & conveniebat occidere in ſanctuario Domini ſacerdotem & Prophetam ſicut, occidiſtis Zachariam*, &c.

Ver. 51. Ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου.

Si ſalvator apud *Matthæum* ſiluiſſet de *Barachiah* quod hic facit, nemo abſque dubio quenquam alium reſpexiſſet quam *Zachariam* filium *Jehoiada* de cujus cæde eſt hiſtoria, 2 *Paral.* 24. Judæi certe nullum alium *Zachariam* agnoſcunt in templo occiſum, præter illum: & quid dicant illi de ejus cæde, obſervavimus ad locum iſtum *Matthæi* ex Talmude utroque, *Hieroſ. Taanith.* fol. 69. 1, 2. *Bab. Sanhedr.* fol. 69. 2. Eadem occurrunt in *Midras Echah*, fol. 79. 2, 3. & *Midras Coheleth*, fol. 93. 1.

Ex hac ultima hæc breviter exſcribamus

Sanguis Zachariæ ebullivit ducentis quinquaginta duobus annis, à Joaſo ad Zedechiam. Quidnam fecerunt? Verrebant in eum omnem pulverem [atrii] *& fecerunt cumulum, & tamen non quievit, ſed adhuc fervit & bullivit. Dixit ſanctus benedictus ſanguini* הא עתה רתינבי דייתיקי דירך *Ecce tempus jam eſt ut exigas* Διαπίπλω *tuam* [ea autem erat videat Dominus & requirat.] *Cum adveniret Nebuzaradan quæreretque, Quidnam hoc rei? Reſponſum eſt, Eſt ſanguis juvencorum, arietum, agnorum quos ſacrificarunt. --- Cum tandem intelligeret quid rei eſſet, occidit octoginta millia ſacerdotum: & tamen ſanguis iſte non quievit, ſederupit, & fluxit ad ſepulchrum Zachariæ. Adduxit ergo ille Synedrium & magnum & parvum & occidit eos ſuper ſanguinem & tamen non quievit*, &c.

Vix credo eos qui hæc referunt credidiſſe ita revera eſſe actum, ſed tantùm hiſce floſculis Rhetoricæ & hyperbolarum, horrendum reatum cædis *Zachariæ* depinxiſſe, qui quo horridior eo magis congruit cum reatu cædis *Chriſti*.

Atque utcunque cætera ſint pigmenta, hoc tamen ex tota rei textura non poteſt non obſervari, quod adeo celebris ac infixa memoriæ gentis eſſet hæc cædes *Zachariæ* hujus, ut cum ſalvator loquatur de *Zacharia* quodam cæſo inter templum & altare, concipi non poſſit, eos de quovis alio concipere potuiſſe, quam de hoc *Zacharia*. De patre ejus, *Barachia* dicto, pro *Joiada* diximus ad *Matth.* xxiii.

De mutato nomine ſi quis ambigat, dicat velim quonam nomine comperiat *Joiadam* appellatum in Catalogo iſto Pontificum

1 *Pa-*

1 *Paralip.* vi. Aut mutato, aut cum penitùs prætermiſſum eſſe, fateatur neceſſe eſt. Si mutatò, inquies, tum trinomius erat *Joiada*, ſi vocaretur etiam *Barachiah*: Nec mirum, nec alienum erat in iſta gente pluribus nominibus nuncupari: ut, ſi magiſtris gentis credas, ipſe *Moſes* habuerit nomina decem. *Vajicra rabb.* fol. 165. 3.

Ver. 52. ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως.

An reddas *Tuliſtis* [vobiſmet ſcilicet] an *Abſtuliſtis* perinde eſto. *Tulerunt* ſibi clavem ſcientiæ, cum ſibi ſolis arrogarent ſapientiam & profunditatem doctrinæ atque ex hac ipſa re *Abſtulerunt* clavem ſcientiæ à populo, quia nihil docuerunt niſi vafra & futilia.

Vox κλεῖδα, eorum lingua מפתחא in mentem revocat uſitatiſſimam iſtam vocem פתח quam adhibent de quovis docente. Exempla hujus habes infinita, numeroſa ſatis in prolixa iſta præfatione quæ præfigitur τῶν Midras Threnorum quæ titulum habet פתיחתא דחכימי *Apertiones ſapientum.* Ubi frequentiſſimè dicitur, ut & ubique ferè ר פתח *Rabbi N. aperuit*, nam non novi ut aptiùs reddatur. Novi bene פתח frequentiſſimè denotare *incepit*, cui opponitur תתם vel סיים *Finivit*, at hic adhibetur cum Rabbinus aliquis producit textum aliquem ſcripturæ, atque in eum vel explicatorie, vel alluſive, vel allegorice gloſſatur & diſſertat. *Aperit ſcripturam*, ut Luc. 24. 32. Nam plus denotari quam *Aperuit os*, quivis ut opinor loca obſervans concipiet.

CAP. XII.

Ver. 1. Ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων.

QUAMVIS vix quiſpiam ſecundum literam hæc intellexerit, quod numerus præſentium fuerit ad minimum Vigeſies millium, ingentem tamen cætum denotari nemo non agnoverit. Sic *Act.* 21. 20. Πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων.

Reſpexerim ego hic efficaciam Evangelizationis Lxx Diſcipulorum, qui tam clarè & proficienter docuerant de Chriſto, & ad quænam loca ille acceſſurus, ut populus tam innumeris numeris ad eum jam confluat, erectus in ejus occurſum cum audiat ad tale oppidum venit *Meſſias*.

Ver. 3. Ὅσα πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε.

De Magiſtro in aurem אמוריה vel מתרגומניה *Interpretis ſui* Inſuſurrante & muſſitante diximus ad *Matth.* x. 27. Rationem ritus habes in

Chagicah. fol. 14. 1. שהתורה ניתנה בלחש. *Quia lex ipſa tradita eſt tacite.* Et rationem iſtius rei habes, in

Sanhedr. fol. 26. 2. ניתנה בחשאי מפני השטן. *Tradita eſt tacite propter Satanam.*

Verum hæc verba quæ jam tractamus, non de muſſitatione tali quali in aure interpretis ſunt intelligenda, ſed de re quavis ſecretiſſimè & muſſitantiſſimè dicta. Inſuſurravit magiſter in aurem interpretis eo fine, ut verba ejus per illum publicarentur diſcipulis. Aſt hic agitur de rebus quas maxime celatas eſſe volunt homines, quas tamen Deus deteget. Non abſimile eſt illud, *Eccles* 10. 20. Stultitiam hypocriſeos innuit ſalvator æquè ac nequitiam: Nam detrahetur aliquando ejus larva atque diſſimulatiſſima ejus denudabuntur.

Ver.

Ver. 6. Οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο;

Duo passeres assario uno, *Mat.* 10. 29. & quinque, assariis duobus.

Vendebantur columbæ in templo puerperarum & profluviosorum ergo, à quibus offerendum par turturum aut columbarum, si non assurgeret opulentia eorum ad sumptuosius sacrificium. Sic & venales fuisse passeres in templo probabile est, leprosorum ergô, quippe quod iis opus erat, in eorum purificatione, *Levit.* 14. 4. Græca quidem isto in loco non habens Δύο στρουθία sed Δύο ὀρνίθια. Verùm si longe petitæ rationi *R. Solomonis credes*, credes indigitari passeres: *Lepra enim* inquit ille, *invasit homines propter linguam malam* שהוא מעשה פטפוטי דברים *id est propter garrulitatem verborum, adhibuerunt ergo in purificatione ejus* צפרים *passeres qui semper garriunt pipitu vocis.*

Καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

Bereshith rabba. fol. 88. 4. *R. Simeon ben Jochai stetit in ostio spelunca sua,* [in qua dilituit per tredecim annos] *& vidit quendam aucupantem. Cumque audiret Bath kol de cœlo dicentem, Misericordia, Misericordia, avis evasit. Cum vero audiret Bath kol dicentem, Pœna mortis, tum avis fuit capta. Dicit ergo ille* ציפר מבלעדי שמיא לא מתצרא *Avis non capitur sine Deo: multo minus vita hominis.* Recitantur & hæc etiam in *Midras Tillin.* fol. 15. 1. Sed circumstantiis quibusdam variantibus.

Ver. 9. Ὁ δὲ ἀρνησάμενός με, &c.

Judica an in hisce verbis & commate proximè sequenti non innuatur à salvatore de duobus istis peccatis irremissibilibus; Apostasia atque Abnegatione Christi; & Blasphemia vel Peccato in Spiritum Sanctum.

Prius vocatur *Peccatum ad mortem*, 1 Joh. 5. 16. & sic revera, & eventu est etiam posterius: & confundi quidem ea video à nonnullis qui disserunt de peccato in spiritum sanctum, cum tamen hæc differentia observari possit: quod Apostasia non sit nisi e-

jus

jus qui ſemel profeſſus eſt *Chriſtum*: at blaſphemia in *Spiritum* Sanctum eructata fuit à Scribis & Phariſæis qui noluerunt eum profiteri.

Ver. 13. Μεῖπον αὐτῷ μεῖ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν.

I. In titulis fratrum hoc obtinuit, ut ſicut maximus natu vocabatur בכור *Primogenitus*, ſic junior vocabatur פשוט *Simplex*: quia abſque titulo *Primogeniti*. Videntur hic duo tantum eſſe fratres inter quos hæc querela, aſt uter queratur quis determinaverit. Junior, inquies, ut maxime probabile, nam promptius erat, ut in diviſione, primogenitus juniori eſſet injurius quam junior primogenito. Aſt in Judicio iſto quod vocarunt דינא דגזר או אגזר *Judicium de Trahe tu aut ego traham*, junior potuit moleſtus primogenito æque ac primogenitus juniori. Res ea, hæc erat

Bava Bathra. fol. 13. 1. *Cum legaverat pater primogenito & poſt nato, ſervum, aut beſtiam immundam,* quæ non potuerunt dividi, tum dicit alter alteri *Aut trahe tu aut ego traham*, id eſt, Aut redime tu partem meam aut ego redimam tuam. Et hic potuit junior perverſus eſſe, ac Redemptionem impediri, æque ac primogenitus.

II. In diviſione hæreditatum quot difficultates quot lites emergere poſſint ipſa ratio, imo vulgaris experientia ſatis docet. Fuſiſſime de ea re magiſtri, & ſupponunt controverſias in hac re oriri poſſe, vel ex teſtamento patris, vel ex natura ipſius hæreditatis, vel ex qualitate filiorum, ut ſi filius junior ſit Diſcipulus ſapientum, primogenitus non, junior proſelytus factus, ſenior ethnicus, &c. Aſt in re jam propoſita, querela & controverſia non eſt in partitione ſed de non partitione: quia primogenitus ut probabile non voluit ea in re juniori gratificare.

Judex in iſtiuſmodi cauſis erat conſeſſus trium viralis: Hi erant מגרעי in controverſia & decernebant de jure & æquitate dividendi: Et vel quidam ab iis deputati, vel quidam ab iis inter quos pendebat controverſia, pro arbitris electi, erant מגרעי, qui cavebant de æqualitate diviſionis. Quidnam ergo hunc hominem moveret ut Chriſtum in hac re judicem appellaret: niſi forte quod vel ipſe vel frater vel uterque forte de diſcipulis Chriſti.

Ver.

Ver. 19. Ψυχὴ ἀναπαύου φάγε πί, &c.

Taanith. fol. 11. 1. *Cum eccleſia eſt in anguſtiis, ne dicat quiſnam, Ibo in domum meam, atque edam & bibam* וְשָׁלוֹם עָלַיִךְ וְשָׁלוֹם *Et pax tibi ô anima mea: Si quis ita faciat, de eo ſcribitur illud, Et ecce gaudium & lætitia, occidendo boves & jugulando oves, comedendo carnem & bibendo vinum: Comedamus & bibamus cras enim moriemur. At quid ſequitur deinceps? Revelatur in auribus Domini exercituum, ſi expiabitur iniquitas hæc vobis donec moriamini.* Et quid ſi ſic dicat & agat cum eccleſia non eſt in anguſtiis?

Ver. 20. Ταύτῃ τῇ νύκτι τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ.

Quamvis ridenda ſit hæc hiſtoria, aliquid tamen continet in ſe ſerii.

Elleh haddebkarim rabba. fol. 300. 1. *Dicunt Rabbini. Occurrit hoc in diebus R. Simeonis ben chalaphta. Quod profectus eſt ille aliquando ad quandam circumciſionem, atque ibi epulabatur. Pater infantis potavit eos vino veteri, etiam ſeptenni, & dixit iis, Cum hoc vino ego conſeneſcam in gaudio filii mei. Convivabantur uſque ad mediam noctem. R. Simeon ben chalaphta confidens virtuti propriæ, egreſſus eſt media jam nocte, ut iret ad civitatem ſuam. Invenit in via Angelum mortis, atque obſervat eum eſſe mœſtum. Dicit illi, tu quis? Et ille, ego ſum nuntius Domini. Et quare inquit ille, tu mœſtus? Dicit ei,* מְשִׁיחְתָּן שֶׁל בְּרִיוֹת *Ego ſum mœſtus ob ſermones hominum, qui dicunt, Ego hoc aut illud aliquando faciam quando non norint quam cito avocandi ſunt ad mortem. Homo iſte quocum convivatus es, & qui dixit vobis, Cum hoc vino ego conſeneſcam in gaudio filii mei, ecce appropinquat tempus ut auferatur poſt triginta dies. Dicit ei, Notum fac mihi tempus meum. Cui ille, in te atque in tui ſimiles non eſt mihi dominium. Deus enim delectatus bonis operibus, protrahit vobis vitam.*

Ver.

Ver. 24. Οὐ ταμεῖον οὐδὲ ἀποθήκη.

Fallor aut Hierosolymitanus redderet לֹא מרתף ולא גורן: Nam מרתף erat *Cellarium* ubi reposuerunt fructus. Et גורן *Horreum* ubi reposuerunt fruges, vel segetes. Vulgo redditur *Area*, at subintelligendum videtur *Horreum*.

Instantiam sumit salvator de Deo pascente corvos, à *Job* 38. 41. & *Psal.* 147. 9. Ubi sic R. Sol. *Interpretantur Rabbini nostri, quod corvus est crudelis erga pullos suos, at Deus eorum miseretur, & parat eis muscas ex ipso ipsorum stercore nascentes.*

Rationem aliquam quare parentes ita immites erga pullos, reddunt in

Chetubboth fol. 49. 2. ubi animum Gemaristarum qui loquuntur de pullis אוכמי & חיורי albis & nigris, si effatur Gloss. *Cum nigrescunt, parentes eos amant, ast ab initio sunt albi, parentes ergo eos oderunt.*

Ast istoc loci occurrunt & hæc, non indigna exscriptione. *Cum adduceretur homo quidam* qui noluit filios suos alere, *coram Rabb. Judah dixit iis*, qui adduxerunt יארוך ילד ואבני מתא שוריא *Draco parit, & fetus suos projicit in oppidum nutriendos. Cum adduceretur ad Rabh chasda dicit iis, Cogite eum ad ostium synagogæ, & stet & dicat* עורבא בעי בניה *Corvus quærit pullos suos, at hic homo, non quærit*, aut agnoscit *filios suos: Corvus agnoscit pullos suos? Ecce scriptum est Deus pascit corvos qui invocant illum.* לא קשיא *Hoc nihil difficultatis habet.* הא בחיורי הא באוכמי *Hoc de iis dum albi sunt dicitur*, Deus eos pascit, *at illud de jam nigris factis*, Corvus agnoscit pullos.

At glossa sic. *Videtur quod ipse propria voce contra seipsum sit clamaturus Corvus agnoscit pullos suos: At sunt qui exponunt, Quod minister Synagogæ prostiterit & sic in eum proclamaverit. Corvus agnoscit pullos suos, at hic homo non suos filios.* Dic Ecclesiæ, *Matth.* 18. 17.

Ver. 30. Τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ.

אומות עולם Phrasiologia genti frequentissima, qua Ethnicos designant, vel omnes gentes præter suam. Κόσμος & Αἰὼν proprietatem

prietatem ſuam habent in ſacris paginis, aliam ab ea quam in profanis: ut Αἰὼν referatur ad ſæcula tantùm Judaica, & κόσμος ad gentes non Judaicas. Hinc Συντελεία τοῦ αἰῶνος, Mat. 24. 3. eſt *conſummatio ævi Judaici*. Et Πρὸ χρόνων αἰωνίων, Tit. 1. 2. eſt *Ante ſæcula Judaica*. Atque hinc eſt quod *Mundus* frequentiſſime in N. T. ſumatur pro *Mundo Ethnico*.

Ver. 37. Παρελθὼν διακονήσει.

Gloſſ. in Bathra fol. 57. 2. שמש הולך והן יושבין *Miniſtrans ad menſam, it*, id eſt circumcurſitat, *dum convivæ ſedent*. Παρελθὼν videtur idem denotare, niſi forte hoc reſpiciat, quod herus præterierit dignitatem ſuam, & dignatus eſt famulari famulis.

Ver. 38. Ἐν δευτέρᾳ φυλακῇ ἢ ἐν τρίτῃ.

In vigiliis ſcilicet [abſit ſolæciſmus] ſomnolentiſſimis. Nam vigiliâ primâ tantùm itur cubitum, & vigiliâ quartâ appropinquat tempus exurgendi: Secundâ & quarta eſt tempus alti ſomni.

Ver. 49. Δαρήσεται πολλάς.

Erat ſtatus numerus plagarum, quadraginta ſcilicet, quem excedere non licuit, cum quis ad tot verbera damnaretur à judicibus: unde mirum videtur illud in

Cholin. fol. 82. 1. *Qui mactat vaccam, & poſtea mactat duos ejus vitulos*, סופג שמונים *vapulet octoginta plagas*.

Itane? Octoginta, cum quadraginta non excedendæ? *Deut.* 25. 3. Non excedendæ quidem ob unum crimen: at duplicato crimine duplicantur plagæ. Et quærere licet, an in Apoſtolum aliquando non duplicarent crimina, ut duplicarent verbera, cum dicat ſe quinquies paſſum triginta novem plagas à Judæis, 2 *Cor.* 11. 24.

At num unuſquisque à confeſſu adjudicatus ad plagas, vapulabat triginta novem? Diminuebatur numerus pro ratione delicti. Quod innui videtur

Peſachin. fol. 24. 1. אבל פוטיה א לוקה ארבע. *Qui edit Potitham*

Potitham [reptile quoddam maris] *vapulet quatuor plagis*, נמלה לוקה חמש *Qui formicam, vapulet quinque.* צירעה לוקה שש *qui crabronem, vapulet sex.* Sit hic sensus verborum tum quæstionem excitat, quonam flagello hi cæsi? si flagello isto trifuniculato aut trichordi, quod adhibitum in infligendis plagis triginta novem, tredecies repetitis plagis trium funiculorum, quomodo hic infligi potuerunt plagæ quatuor aut quinque?

At de plagis ab hero infligendis servo, non est numerus aliquis definitus, sed pro ratione delicti agit cum eo herus suus: Quod & aliquantum innuitur in verbis hisce salvatoris, & in Canone isto Judæorum, adhibita tamen aliqua modificatione.

Maimon. Avadim cap. 9. מותר לעבוד בעבר כנעני בפרך. *Permissum est cum servo Canaanæo* [i. e. Ethnico] *agere cum sævitia. At quamvis hoc sit de jure, norma tamen misericordiæ, & regula sapientiæ, est ut homo sit clemens & prosequens justitiam, & non aggravet jugum super servum suum, nec eum affligat.*

Ver. 49. Καὶ τὶ θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη.

Τί θέλω, videtur sumi pro more scholarum: ubi מאי אני אומר *Quid ego dico*, est *Ego hoc dico.* Et מאי אני מקיים *Quid ego statuo*, aut *probo*, est, *Ego hoc statuo aut probo.* Sic מאי אני רוצה Τί ἐγὼ θέλω. *Quid ego volo* est *Hoc ego volo* Sic in hisce verbis, *Quid volo si jam accendatur*; est *Hoc volo ut jam accendatur.* Quisnam autem ille ignis, quem jam vult accensum, ipse explicat, vers. 51. & porro.

CAP.

CAP. XIII.

Ver. 1. Περὶ τῶν Γαλιλαίων.

SI fama ad Chriſtum perlata immediatè ſecuta eſt factum, tum acta eſt hæc Tragædia à *Pilato*, paulo ante feſtum *Encæniorum*, nam Chriſtum habes ad feſtum illud tendentem, ver. 22. At tempus ſtragis actæ incertum: atque in ambiguo eſt, an hi qui rem referunt eam nuntient ut aliquid novi & non ante ab eo auditum, an ut judicium ejus in iſta re expiſcentur, &c.

Diſputatur de perſonis interfectis, &

I. Volunt quidam eas fuiſſe de ſecta *Judæ Gaulonitæ*, atque ideo interfectos quia negarunt cenſum *Cæſari*. Audit quidem *Judas, Galilæus*, Act. 5. 37. & minime dubitandum eſt Galilæos aliquos in ejus ſententiam & praxim ſe recepiſſe: At quæro ego an vellet Chriſtus pro iis Apologiam texere, & pari claſſe cum obvolutis ruinâ turris *Siloam* diſponere, cum clarè pateat eum contraria perverſæ iſtius ſectæ ſententiæ ſemper docuiſſe. Quod ſi hi quidem fuerint de iſta ſecta, nam non litigamus, rete Chriſto tendere videntur hi qui rem referunt ferè, quale illi qui interrogant. *Num licet tributum reddere Cæſari.*

II. Eſt qui hanc hiſtoriam confundat cum iſta Joſephi *Antiq. lib.* 18. cap. 5. quam ille ex eo ſic abbreviat. *In Galilæa autem Samaritani à quodam impoſtore ſeducti, tumultuantes ad montem Gerizim* [*ubi impoſtor ille pollicebatur, ſe oſtenſurum ipſis ſacra vaſa, à Moſe iſthic uti mentiebatur defoſſa atque recondita*] *à Pilato immiſſis copiis repreſſi, & potentiores capti & morte ſunt multati.* Lud. Capel. Hiſt Jud. compend.

Miror virum doctiſſimum hæc tam fiducialiter tradere, ut *Joſephum* caſtiget ob errorem in computatione temporis hujus hiſtoriæ, & concludat, *Cum revera tamem cades hæc Samaritanorum à Pilato facta, videatur omnino eſſe cades Galilæorum cujus fit mentio, Luc.* xiii. 1.

Cum revera tamen, de *Galilæa* apud Joſephum ne ſyllaba quidem

dem una ut nec de sacrificiis mentio omnino ulla, ut nec de Galilæis sed Samaritanis, & audacius est pro sacrificantibus Galilæis substituere rebellantes Samaritanos. Et non probabile est hos qui rem referunt salvatori, historiam sic velle decolorare, ut pro *rebellantibus Samaritanis* substituerent *sacrificantes Galilæos.*

III. Satis erat ista inimicitia & simultas quæ intercessit inter *Pilatum* & *Herodem*, cap. 23. 12. quæ excitaret *Pilatum*, ad sic sæviendum in subditos *Herodis.*

Ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε, &c.

Midras Tillin, fol. 7. 4. *Juravit David* τῷ *Abishai, Vivit Dominus, Si tu sanguinem hujus justi* [Sauli] *tetigeris* אני מערב רמך ברמו *ego commiscebo sanguinem tuum cum sanguine ejus.* Sic commiscuit Pilatus sanguinem horum sacrificantium cum sanguine sacrificiorum. Notandum illud in

Siphra fol. 4. 1. & *Zevachin*, fol. 31. 2. *Mactatio victimarum* כשירה נזרים בנשים ובעברים ובטמאים *ritè fit per alienos, per fœminas, per servos, per immundos, etiam maxime sacrarum, proviso, ut immundi non tangant carnem.* Et paulo post *Ab aspersione sanguinis, incipit opus sacerdotum, ac mactatio ritè fit per quemlibet.*

Hinc frequentissimum, ut is qui adduxit sacrificium, mactaret. Et sic forsan miseri hi *Galilæi* mactati, dum victimas suas mactant. Nam probabilius videtur, eos in templo cæsos dum sacrificia offerrent, quam in via dum afferrent.

Ver. 4. Ἐφ' οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ.

Piscina Bethesdæ erat *Piscina Siloam*, & regio urbis adjacens, denominata est etiam inde *Siloam.* Unde ambiguum est, an turris hæc ipsi piscinæ, id est, porticubus piscinæ contiguis impenderit: an aliquantum à piscina remotius steterit, ubi tamen continuatum est nomen *Siloami.* Si articulus τῷ quæstionem non determinet, adhuc hæsitabimus. Num permittet Grammatica ut iste articulus præfigatur parti urbis? certi sumus ipsam piscinam τῷ Σιλωὰμ nuncupari, *Johan.* 9. 7, 11. Concipimus ergo fuisse turrim quæ porticibus piscinæ immineret, quæ octodecim homines obruit vel

versantes

verſantes circa purificationem ſui [& tum convenit hic eventus eò magis cum iſto *Galilæorum*] vel expectantes ſanationem poſt turbationem aquæ : nam quo tempore corruerit turris incertum.

Ver. 7. Ἰδὺ τεία ἔτη ἔρχομαι, &c.

Non leviter ſuccidenda erat arbor quæ erat de genere frugiferarum, & cujus fructus comedendus, cavente illud lege, *Deut.* 20. 19, 20. Ubi obſervat *Peſikta* eſſe præceptum affirmativum, & negativum, quibus fortius cavetur, ne ſuccidatur talis arbor ſine cauſa non contradicenda.

Bava kama, fol. 91. 1. *Dicit Rabh. Palmam quæ fert cabum dactylorum, ne ſuccidas. Regerunt, Et quid de oliva ut non ſuccidatur? Si ferat quarta cabi. R. Chaninah dixit* לא שכיב שבחה ברי אלא דקץ תאינתא דבלא זמנה *Non mortuus fuerat Skibchah filius, meus niſi quod ſuccidit ficum intempeſtive.*

Ver. 8. Σκάψω αὐτὴ καὶ βάλω κοπρίαν.

Talmudicis אני מעדר ומזבל

Skeviitl, fol. 35. 1. מזבלין ומעדרין מפרלין מפוקין מאבקין מעשנין *Stercorant & fodiunt*, &c. Gloſſ. *Apponunt fimum in hortis ad humectandam terram. Fodiunt ad radices arborum. Evellunt ſurculos : Avellunt folia : Conſpergunt cineres : Et fumigant ſub arboribus ad enecandos vermiculos.*

Ver. 11. Πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας.

I. Diſtinguunt Judæi inter Spiritus, & Dæmonia, & Angelos bonos.

Bemidbar rabba. fol. 157. 2. & *Midras Schir*. fol. 2. 3. *Omnia adminiculantur* propter gloriam Regis regum ſancti benedicti אפילו רוחות *etiam Spiritus* אפילו שרים *Etiam Dæmonia* אפילו מלאכי שרת *Etiam Angeli miniſtrantes.*

Scrupulus eſt quo ſenſu ſumſerint *Spiritus* ut diſtinctos ab Angelis & Dæmoniis, cum probabile ſit quod non intellexerint animas humanas. Sed hæc non ſunt hujus loci.

II. Quod

II. Quod ergo ad Phraſiologiam *Lucæ* attinet Πνεῦμα ἀσθενείας, ſcrutamen exordiamur à verbis iſtis.

Horaioth fol. 10.1. *Scribitur, ſi dem plagam lepræ in domo terræ hæreditatis tuæ, Lev.* 14.34. *R. Judah dicit, Hoc pronunciat tales plagas in eos venturas. R. Simeon dicit* פרט לנגעי אונסין *Excipit plagas violentas quæ non reddunt immundum.*

Ubi Gloſſ. אם באו נגעים עי נפיחת שר דלא מטמו *Si veniant plagæ per inſufflationem dæmonii, quæ non immundificant.*

Et Gemara paulo poſt, *Rabba dicit* פרט לנ עי רוחות *Excipit plagas ſpirituum. Rabb. Papa dicit, Excipit plagas incantationum.* Ubi Gloſſ. iterum *Plagæ quæ infliguntur per inſufflationem Dæmonii, non per manus hominum.*

1. Vides ergo primum quod, morbos aut plagas infligi per Dæmonium, erat opinio genti receptiſſima: quod & patet etiam ex Evangeliſtis, nam ſalvator in ipſo hoc loco dicit incurvationem hujus fœminæ inflictam ei fuiſſe per *Satanam.*

2. Infligi morbos arbitrati ſunt, aliquando immundos, aliquando non immundos. Immundos ut lepram, profluvioſitatem, &c. Non immundos, qualis erat morbus aut plaga hujus fœminæ, &c.

III. Diſtinguunt inter רוח רעה *Spiritum malum* & רוח טומאה *Spiritum immundum.* Non quod non exiſtimarent *Spiritum immundum* eſſe malum ſatis, & *Spiritum malum* eſſe immundum ſatis, ſed ut diſtinguerent de varia operatione Diaboli, ut & de variis perſonis ab eo vel obſeſſis vel afflictis.

1. Agnoverunt ſpiritus malos infligere morbos.

Erubbin. fol. 42. 2. *Quemcunque exagitant* [ultra limites Sabbaticos] *vel Ethnici, vel* רוח רעה *Spiritus malus.*

Ubi Gloſſ. *Spiritus malus eſt dæmonium quod in eum intravit & turbat intellectum ejus, ita ut feratur extra limites.*

At Rambamus. *Omne genus melancholiæ vocant Spiritum malum.*

Atque alibi. רוח רעה חולי *Spiritus malus, id eſt morbus.*

2. רוח טומאה *Spiritus immundus*, iis erat præcipuè & peculiarius, Dæmonium verſus inter ſepulchreta, loca immundiſſima.

Gloſſ. in Sanhedr. fol. 65. 2. רוח טומאה שר בית הקברות, *Spiritus immunditiei, id eſt Dæmonium ſepulchretorum.*

Illuc

Illuc se recepit Necromantes [ut Gemara ibidem, quod & adduximus alibi] *& cum jejunio se macerasset, pernoctat inter sepulchra, eo fine ut potiatur afflatu spiritus immundi.*

Nec multo aliter, ipsis referentibus בעל אוב *Pythonicus.* *Nam tradunt Rabbini* בעל אוב זה המדבר בין הפרקים *Pythonicus est qui loquitur inter partes*, Gloss. *Qui suscitat mortuum, & sedet inter partes ossium*, &c.

Hinc ratio conjecturæ nostræ de Dæmoniaco isto, *Lu.* 4. 33. quod esset vel *Necromanticus* vel *Pythonicus*, observata nempe Phrasiologia Evangelistæ inusitatiori. Non ἔχων πνεῦμα ἀκάθαρτον, nec ἔχων δαιμόνιον ἀκάθαρτον, sed ἔχων πνεῦμα Δαιμονίου ἀκαθάρτου.

Duo igitur hominum genera, existimarunt esse sub agitatione *Spiritus immundi*, proprio eorum sensu dicti. Eos præsertim qui afflatum Diaboli ambierant inter sepulchreta loca immunda, atque illos etiam qui obsessi à Dæmonio non ita invitato, exagitabantur tamen inter sepulchreta, & loca quævis alia immunda. Atque an illi in quos inflixerat Dæmonium morbos immundos, sub eadem classe censerentur non determinamus: Alios autem qui furiis Dæmoniacis non ita agitabantur, sed morbis quibusdam aliis affligebantur, æstimarunt esse sub operatione רוח רעה חולי *Spiritus mali morbositatis.* Non Ἀκαθαρσίας, sed Ἀσθενείας. Et forsan Evangelista secundum istam Antithesin loquitur: quod hæc fœmina nec Spiritum Ἀκαθαρσίας habuerit, prout illi judicarunt de Spiritu immundo, nec νόσον Ἀκαθαρσίας, sed Spiritum Ἀσθενείας.

Ver. 15. Ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ;

Huic attestatur disceptatio ista in

Schabb. cap. 2. hal. 1. במה בהמה יוצאה: Dum cavetur ne prodeat, vel educatur bestia Sabbato, aliquid gestans, quod esset onus non congruum aut portandum Sabbato. Permittunt יועא גמל באפסר *ut camelus ducatur per capistrum*, כוס בשיר *Equus per collare*, &c. Hoc est cum educuntur pastum vel aquatum.

Imo fatetur Gloss. in loc. *Quod educunt bestiam ad aquas, ut collare tingat in aquis, si modo collare sit immundum.*

Huc pertinet abstrusa atque obscura ista regula in

Erubbin. fol. 17. 2. עושין פסין De, struendo macerias circa

ca fontem qui est privati juris, ea arte, ut bestia eò ducta aquatum Sabbato, non excedat è loco qui est publici juris. Imo

Ibid. fol. 20. 2. Non permittitur solum bestiam educere ad aquam Sabbato, sed & haurire pro ea aquam, atque effundere in canales, proviso tantum, ut non gestet aquam & ponat coram bestia, sed accedat bestia & potet sua sponte.

Ver. 23. Εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι.

Ille qui quærit *Domine an pauci sunt qui salvantur*, cum recepta gentis sententia fuerit, *Quod omni Israeli erit portio in mundo futuro.* An dubitanter hæc quærit an captiose?

De hac ipsa re disputatur inter magistros

Sanhedr. fol. 111. 1. *Propterea dilatavit infernus animam suam atque aperuit os suum* לבלי חוק *Præter statutum*, Esai. 4. 14. *Resh Lachish dicit, Hoc est pro eo qui derelinquit statutum unum.* [Gloss. Qui derelinquit statutum unum non observatum, judicabitur in Gehennah] *At dicit R. Jochanan, Non vult Dominus eorum hoc quod dicis de iis* [Gloss. Non vult ut sic judices de Israele] *sed sensus est. Etiamsi non dixerit nisi statutum unum*, evadet Gehennam. *Et dicitur, Et erunt in omni terra dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur* [Zechar. 13. 8.] *Resh Lachish dicit Tertia pars semi. Dicit ei R. Jochanan, Dominus eorum non vult hoc quod tu dicis de iis, sed tertia pars Noachi. Dicitur, Assumam vos, unum de civitate & duos de tribu* [Hierem. 3. 14.] *Resh Lachish dicit, verba sunt intelligenda secundum literam. Dicit ei R. Jochanan. Dominus eorum non vult hoc quod tu dicis de iis. Sed unus de civitate, expiabit pro tota civitate, & duo de familia expiabunt pro tota familia. Dicitur Assumam vos mihi pro populo & dicitur, Et introducam vos in terram* [Exod. 7. 7, 8.] *Comparat exitum eorum è terra Ægypti, cum introitu eorum in terram Canaan. Qualis autem erat introitus eorum in terram? Duo tantum introierunt de sexaginta myriadibus. Dicit Rabba, Sic etiam erat in diebus Messiæ*, vix expectares talem ingenuitatem à Judæo, qualem hic habes à *Resh Lachish & Rabba.*

Ver.

Ver. 32. Εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ.

Arbitror ego ſalvatorem alludere ad vulgare Adagium.

Megillah, fol. 16. 2. *Et fratres Joſephi proni adorarunt eum* [Gen. 50. 18.] *Dicit R. Benjamin bar Japheth. Dicit R. Eliezer* היינו דאמרי אנשי *Hoc eſt quod vulgo dicitur ab hominibus* תעלא בעידניה כניר ליה *Vulpem in tempore ſuo* [Gloſſ. In proſperitate ſua] *adora.* Aſt ite vos, & dicite huic vulpi, utcunque in proſperitate ſua ſe volutanti, quod ego nunquam ſum ei adulaturus, aut ab opere meo, propter ejus formidinem ceſſaturus, ſed ecce ejicio dæmonia, &c.

Ver. 33. Οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι, &c.

Sanhedr. fol. 2. 1. *Non judicant tribum, nec Pſeudprophetam* [qualem ſuppoſuerunt Jeſum] *nec ſummum Pontificem, niſi judicio, ſeptuaginta unius.*

Rambam in loc. ut & Gemara. *De Pſeudopropheta à Synedrio judicando diſcimus à pari, nam ſic judicatus eſt* זקן ממרא *Judex rebellis.*

Jam vero de judicio ejus hæc dicuntur

Sanhedr. fol. 89. 1. *Non morte mulctant eum in conſeſſu qui eſt in urbe ſua, nec in conſeſſu qui eſt in Jabneh, ſed adducunt eum ad conſeſſum magnum qui eſt Hieroſolymis, & reſervant eum ad aliquod feſtum, atque interficiunt eum in feſto, ſicut dicitur, Et omnis Iſrael audient & metuent & non ſic facient amplius.*

Ver. 35. Ὅτε δὲ μὴ με ἴδητε ἕως ἄν ἥξῃ ὅτε εἴπητε, Εὐλογημένος, &c.

Erat cum difficultatis omnino nihil in his verbis deprehenderem, at jam, quod Παρόδοξον, ſeniles oculi plus vident quam juveniliores, & quo penitiùs verba introſpicio, eò apparent illa obſcuriora.

I. Quonam ſenſu ſumendum illud *Non videbitis me amplius*? Cum poſt hæc verba ut ſtant apud hunc noſtrum, viderint eum inter ipſos verſantem per ſpatium trimeſtre & amplius. Speciatim

vero & ſingulari in triumpho illo nobili, cum ei aſino inſidenti acclamatum eſſet ipſiſſimis hiſce verbis, *Benedictus qui* venit, &c.

Crederes igitur verba hæc proſpicere poſſe tempus illud & actionem: niſi quod apud *Matthæum* repetantur ea à ſalvatore poſt illum triumphum, Matth. 23. 39.

Chriſtus eſt jam Hieroſolymis ad feſtum *Encæniorum*, vel ſaltem parum abeſt iſtud feſtum, nam ille eſt eò ſe conferens, ver. 22. & blanda videtur hæc interpretatio, Vos me hic videtis jam, ſed à modo me non hic videbitis amplius donec dicatis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, quod factum eſt in illo triumpho. Sed quid dicemus ad hoc, Quod repetuntur ipſiſſima hæc verba poſt iſtam acclamationem? Vix crediderim cum Cl. Heinſio, verba hæc apud *Matthæum* non diſponi proprio loco, ſed tranſplantatam eſſe ſeriem hiſtoriæ, crederem potius ſalvatorem non de oculari intuitu hic loqui, ſed loqui ſenſu ſpirituali, & mutuatitio. Eodem ſcil. quo vocem *Videre* adhibent Judæi, cum loquuntur de *videndo Meſſiam*, *Dies Meſſiæ*, *& Conſolationem Iſraelis*: id eſt de participatione & fruitione ſolatiorum & beneficiorum *Meſſiæ* atque iſtorum dierum. Ut animus ſalvatoris videatur hic eſſe, vos à modo nunquam beneficio à me *Meſſia* fruemini donec dicatis, *Benedictus qui venit*, &c. Nam quæramus, An Chriſtus unquam poſt hæc verba, ſic conatus ſit congregare filios *Hieroſolymæ* ut urbs non deſtrueretur, & gens non rejiceretur: Conatus eſt quidem congregare τὸ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, at num exhinc conatus eſt unquam ut urbs & gens conſervarentur. De his in animo ejus eſſe conclamatum, hoc ſatis arguit, quod & hic & apud *Matthæum* præcisè & in terminis ruinam urbis denuntiet ante prolata hæc verba. Mallem ergo verba in hunc ſenſum interpretari, *Ab hoc tempore nunquam videbitis conſolationes Meſſiæ, nec me vobis propitium, aut conſervationem gentis, urbisque veſtræ molientem, donec dicatis, Benedictus qui venit*, &c. quam Ἀμφοδίαν aliquam in verbis apud *Matthæum* admittere.

II. At jam emergit æqualis difficultas circa vocabulum *Donec*: an ſcil. concludat eos aliquando ſic dicturos, an excludat & neget. Nam quis ignorat variam hanc imo contrariam vim vocis *Donec*? *Negotiamini Donec advenero*, Luc. 19. 13. hic concludit eum aliquando adventurum.

Non

Non remittetur vobis hæc iniquitas Donec moriamini, Esai. 22. 14. Hic excludit remissionem in sempiternum. Et stat quidem hoc vocabulum in tali bivio, hoc in loco, ut ille qui credit conversionem gentis Judaicæ olim futuram, flectere possit in partem suam, & ille qui credit contrarium, possit in suam.

Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.

Quamvis intimatior perpensio horum verborum, non statuminaverit vim vocis *Donec*, hoc in loco, lucis tamen aliquid forsan præbebit toti clausulæ.

Verba desumpta sunt ex *Psalm.* cxviii. 26. & decantata in magno *Hallel*. Et ignoscat lector si extravagemur aliquantùm in scrutinio istius ritus, præsertim circa hæc verba quæ jam præ manibus.

I. *Magnum Hallel*, erat recitatio Psalmorum, cxiii, & cxiv, & cxv, & cxvi, & cxvii, & cxviii. unoquoque festo, in unaquaque familia aut σχολεία. Hymnus à salvatore & suis decantatus post Pascha, *Matth.* 26. 30. erat pars ejus posterior.

II. Tenebatur unusquisque jure quidem ad recitationem totius in propria persona. At cum omnes non adeo docti atque expediti essent, ut possent, recitavit unus vice omnium, & reliqui post eum responderunt aliquid. At hoc etiam iis pro Axiomate שומע כעונה *Si audit, est ac si responderet*, & אם שמע ולא ענה יצא *Si audit & non respondet satisfacit tamen officio suo.* Sensus est, Si quis adeo imperitus, ut nec ipse recitare possit, nec respondere post alium recitantem, attente audiat & functus est officio.

III. Jam vero duplex erat respondendi modus pro varietate recitantium. Si quis senior, ut pater familias, vel talis qui apte repræsentare posset totum cœtum, recitaret aut præcineret, tum reliqui, post eum non reiterant verba ab eo prolata nisi הללויה primam solùm clausulam uniuscu juscque Psalmi, ad cætera vero respondent versiculatim *Halleluiah*. Nam actio repræsentantis, prælectio scil. valuit pro repræsentatis, consensu præsertim eorum exhibito per responsionem *Halleluiah*. Hebes certe ille qui non potuit sic cum reliquis respondere.

IV. At si deesset talis senior, qui peritus esset lectionis vel recitationis, & necesse esset, ut servus, aut fœmina, aut puer aliquis,

peritior præcineret, aut recitaret, tum audi quid actum.

Bab. Succath. fol. 38. 1. *Si servus, vel fœmina, vel puer præcineret* עונה אחריהן מה שהן אומרים *repetit unusquisque de cœtu ipsissima illa verba quæ ille dixerat.* אם היה נרול Si vero grandævior aut dignior quis præcineret aut prælegeret עונה אחריו הללויה *Post eum respondent Hallelui.h.* Ratio autem quare ipsissima verba à servo, fœmina aut puero præcinente recitata, post eum essent repetenda, verbatim, erat, quia talis non erat persona apte repræsentativa, atque ejus actio non obtinuit pro reliquis, oportuit ergo unumquemque in persona sua verba recitare ut fungatur officio.

V. Cum perventum esset ad verba quæ tractamus ברוך הבא בשם ה *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Si puer aut servus prælegeret vel prærecitaret והן אומר ברוך הבא הוא אומרים בשם ה *Ille dicit Benedictus qui venit, & reliqui dicunt in nomine Domini.* Hoc illud est cujus gratia lectorem tædio hujus prolixitatis gravavimus, ut notet quid actum sit cum hac clausula discrepanter ab aliis. Dissecatur, quod non factum in aliis, & non reiterantur prima vocabula post præcentorem, quod factum in aliis. Atque an hic mos obtineret in familiis tantum pueris aut servis præcinentibus, judica ex hoc in

Hieros. Succah. fol. 54. 1. *Interrogarunt R. Chaijam bar. Ba. Unde astruitur quod ille audit, & non respondet fungitur officio? Ex hoc inquit* ראנן חמיין רבנין דברביא קיימין בציבורא *Quia nos videmus grandissimos Rabbinos stantes in Synagoga* ואילין ואילין אמרין ברוך הבא *Et hi dicunt Benedictus qui venit* אמרין בשם וו *Et illi respondent in nomine Domini, & utrique satisfaciunt officio suo.*

Midras Tillin. postrema verba omittit penitus, scil. בשם וו Nam sic illa *Homines Hierosolymæ dicunt ab intra* אנא יי הושיעה נא *Serva nunc Domine obsecramus.* Et homines Judææ dicunt ab extra אנא יי הצליחה נא *Prosperare nunc Domine quæsumus. Homines Hierosolymæ dicunt ab intra* ברוך הבא *Benedictus qui venit, & homines Judææ dicunt ab extra, Benediximus vobis è domo Domini.*

An aliquid mali animi in his hominibus esset cum nobilissimam hanc clausulam sic discerperent, non fidenter dicimus, ac certe aliquid suspicionis non excitare non potest, quod vix ad proprium objectum

objectum verba retulerint. *R. Solomon* certe non: Nam, *ſic dicendum eſt* inquit ille, *afferentibus primitias atque aſcendentibus ad feſta.*

1. *Venire* illis frequentiſſime eſt idem cum *Docere*, ut Johan. 5. 43. *Si quis venerit in proprio nomine, illum recipietis*, i. e. docuerit. Et ſic frequentiſſime apud Hieroſolymitanos, de hoc aut illo Rabbino dicitur אתא *venit*, & כד אתא *Cum veniret*: quod, ſi non intelligendum ſit de eo docente, fateor, me non intelligere quid ſibi velit.

2. Doctores iſti non venerunt & docuerunt in nomine Domini, ſed vel in nomine ſuo, vel in nomine alicujus patris traditionum. Hinc nihil frequentius iis, quam *Dicit R. N. nomine R. N.* quod teſtatur unaquæque pagina, unaquaque fere linea. Si igitur per decurtationem clauſulæ iſtius de qua agimus, aucuparentur ſibi benedictionem populi, ab iis docti dicere, *Benedictus qui venit*, omiſſo vel interrupto, quod ſequitur, *In Nomine Domini*, pro more ſuo agunt, callide & aucupantes famam.

An Chriſtus in hiſce verbis ſuis, huc reſpexerit judicet lector: At nos hoc determinare non veremur, quod nunquam videbunt *Meſſiam* iis propitium, niſi abdicaverint doctrinas venientium in nomine proprio, vel nomine patrum traditionum, atque amplexentur doctrinam ejus qui venit in nomine Domini. Quod an unquam facturi ſint, definiat ille, qui definire poteſt, utrum gens iſta unquam convertenda, necne.

CAP.

CAP. XIV.

Ver. 1. Σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον.

LAUTIORES erant isto die illis mensæ quam diebus aliis, idque, ipsis judicantibus, ex pietate & religione. De qua re diximus alibi. Habe hic demonstrationem.

Schabb. fol. 119. 1. *Rabba bar Rabh. Hona venit ad domum* τοῦ *Rabbab bar Rabh. Nachman. Apposuit ei tria fata laganorum unctorum. Cui ille, unde nostis quod ego hunc venturus? Et alter* מי עריזה לן מינה. *Num quid nobis præstantius Sabbato?* Gloss. Tu nequaquam à nobis prælatus es Sabbato. In honorem Sabbati hæc paravimus, adventum tuum penitus ignorantes.

Rabh. Abba emit tredecim stateribus, carnem à tredecim laniis, ומשלים להו אצינורא דדשא *& solvit iis ad ipsum tardinem ostii.* Gloss. Emit carnem à tredecim laniis, ut certo gustaret optimum. Atque antequam venirent illi qui apportarunt carnem, paraverat ille pro iis nummum, & solvit in ipso ostio ut acceleraret prandium: & omne hoc in honorem Sabbati.

R. Abhu הוה יתיב אכיתקא דשינא ומושיף נורא *Sedit in solio eburneo, & tamen sufflavit ignem.* Ad coquenda scil. edulia in honorem Sabbati.

Ad tale prandium adesse salvatorem, idque in domo Pharisæi horum rituum observantissimi, præteriri non potuit absque observatione.

Ver. 3. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεῦσαι;

Promptum est Judæo cavillari contra veritatem Evangelistarū, ex hac atq; istiusmodi quæstionibus salvatoris: Nam cur opus erat, inquiet, ut hoc interrogaret, cum satis norit permissum fuisse, in periculo vitæ quidvis fere agere, ad vitæ conservationem: Imo ubi non erat imminens periculum vitæ, permissum est adhibere medicinam

medicinam, applicare Pharmaca, emplaſtra, &c. Speciatim, quod præterire non poſſum גומרתא נותנין עליה חמץ בפסח *Applicare fermentum etiam in Paſchate ad Gumretham*, morbum quendam ardentiorem, *Hieroſ. Schab.* fol. 14. 4. & *Avodah zarah*, fol. 40. 4.

Veriſſimè quidem, & novit hæc omnia Chriſtus: At novit pariter quam malo oculo ipſum reſpexerint, ut quod alteri licitum, illi non permiſerint. Accuſatur ſemper ob ſanationem ægrorum Sabbato, quod cum verbo tantum fecerit, non tantum violat Sabbatum, quantum ipſorum Canones, permiſerunt: & quare igitur accuſatur? Ex puro odio in ejus perſonam & actiones. Duæ hiſtoriolæ quæ occurrunt locis allegatis poſſunt hoc aliqualiter illuſtrare.

Nepoti R. Joſuæ b. n Levi, erat morbus aliquis in gula בשמיה אתאחר ולחש ליה רישו בן פנדירא ואינשם *Venit quidam & muſſitavit ei in nomine Jeſu filii Pandiræ, & ille convaluit.* Hic ut videtur admiſſa eſt virtus & operatio Jeſu, & non exploſa. Ar.

Cum R. Eliezer b. n Damah, morſus eſſet à ſerpente, veniretque Jacobus Capharſamenſis in nomine Jeſu Pandiræ, ei medicatum, R. Iſmael rem non permiſit. Sic mortuus eſt æger.

Ver. 5. Τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσῖται, &c.

Cum pro indubitato axiomate eſſet, *Miſericorditer agendum eſſe cum bonis Iſraelitæ*; in quamplurimis diſpenſarunt magiſtri, cum Sabbato pro conſervatione beſtiæ.

Scabb. cap. 18. hal. 3. אין מילרין את הבהמה ביט אבל מסעדין

Non obſtetricantur beſtiæ fœtum enitenti, die feſto, ſed auxiliantur ei.

כיצר מסעדין: *Quomodo auxiliantur? ſuſtinent fœtum, ne decidat in terram: vinum afferunt, & inſufflant ei in nares. Præbent ei ubera. Confricant ſale alvum matris & lactabit fœtum.*

Bezah. fol. 46. 1. *Primogeniam beſtiam quæ incidit in foveam* [die feſto aut Sabbato] *inſpiciat Mumcheh, & ſi ſit in ea labes extrahat & occidat: ſi non, non occidat.* At extrahit tamen ne pereat. Et ſic cum aliis beſtiis actum niſi quod non adhiberetur *Mumcheh.*

Ver.

Ver. 8. Μὴ κατακλιθῇς εἰς πρωτοκλισίαν.

Ambierunt πρωτοκλισίαν in honorem ſapientiæ ſuæ.

R. Abuhabh. in præfat. ad Ner. 7. *Tribus ad convivium invitatis, Principe ſapiente, humile, ſapiens ſedit proximus à principe. Interrogatus à Rege, quare? Reſpondit, quia ſum ſapiens.*

Hieroſ. Beracoth. fol. 11. 2. *Jannæo rege diſcumbente cum Satrapis quibuſdam Perſiæ, accerſitus Simeon ben Shetah, conſedit inter Regem & Reginam. Interrogatus Quare? Reſpondit, In libro Ben Sira* [בן סירא] *Scribitur* וחרוממך ובין כריבים תושיבך סולליה *Exalta ſapientiam, atque illa te exaltabit, & ſedere te faciet inter Principes.*

Par huic ſalvatoris conſilio habes, *Prov.* 25. 7. in quem locum ſic

Vajicra rabba. fol. 164. 4. *R. Aquila nomine R. Simeonis ben Azzai ſic exponit, Recede à loco tuo, duobus aut tribus ſedilibus, atque ibi ſede, ut dicant tibi, Aſcende,* &c.

Ver. 18. Ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι.

Ridiculâ ſane Apologiâ æque ac rudi & ruſticâ, ſi jam noctеſceret: nam erat tempus cænæ. Tempus parum oportunum ad ſpeculandum agrum coemptum, & probandos boves. Subſtantivum ergo quod reſpondeat voci Μιᾶς, ego non quæſiverim extra, ſed in cluſum cenſuerim intra vocabulum Παραιτεῖσθαι ut ſenſus ſit Ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς αἰτίας παραιτεῖσθαι, *Inceperunt ex una cauſa excuſare.* i. e. Ex una eademque averſatione.

Ver. 23. Ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς.

Εἰς τὰς ὁδοὺς ut introducat אורחים *Viatores*: Sed quinam illi qui ſunt inter φραγμοὺς? Parallelum videtur in 1 *Paralip.* iv. 23. *Hierant figuli* יושבי נטעים וגדרה. Græc. Οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἀταὶμ καὶ Γαδηρ. At vulg. *Habitantes in Plantationibus, & Sepibus.* Atque in eundem modum R. Sol. & Kimchi. *Operam dederunt operi figulino, & plantationi, & ſtruendis ſepibus, & maceriis.*

riis. Targumiſta ibi extravagatur non mediocriter. *Hi ſunt diſcipuli legis quorum gratiâ mundus eſt conditus, qui ſedent in judicio & ſtabiliunt mundum, & filiæ reſtaurant deſolationes domus Iſraelis, cum præſentia regis æterni, in famulitio legis, intercalatione menſium*, &c.

Ver. 34. Ἐὰν ὑ τὸ ἅλας μωρανθῇ, &c.

Optimè pendent hæc à præcedentibus. In iis docuerat ſalvator quam ſerio perpendendum ei, qui ſe vult ad Chriſtum & religionem applicare, quanta & quam difficilia ſunt ei ſubeunda. Ne cum jam in re iſta inceperit, langueat, recedat, Apoſtatizet & fiat ſal inſipidus.

Μωρανθῇ optimè reſpondet voci Hebrææ תפל, quæ & *Inſulſum* ſignificat & *Fatuum*, Job vi. 6. האם יאכל תפל *Num comedetur inſulſum abſque ſale?* Thren. 2. 14. Prophetæ tui viderunt tibi שוא ותפל Græc. Μάταια ϗ ἀφρονώλια. Job 1. 22. לא נתן תפלה לאלהים Græc. Οὐκ ἔδωκεν ἀφρονώλια τῷ Θεῷ.

CAP. XV.

Ver. 4. Ἐγκαταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα.

TRITA in gente numeratio, & diviſio, inter *unum* & *nonaginta*. Exempla adduximus alibi, adjiciamus hoc unum.

Vajicra rabb. fol. 197. 2. *De centum clamoribus quos edit fœmina parturiens, nonaginta novem ſunt ad mortem, & unus tantum ad vitam.*

Ver. 7. Οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι τῆς μετανοίας.

Reſpicienda hæc diſtinctio ſcholarum.

I. Omnes bonos, & tandem ſalvandos, vocarunt צדיקים *Juſtos.* [opponitur רשעים *Improbis*: ut ſemel iterumque in ipſo Pſalmo primo] Hinc hæc & hujuſmodi frequentiſſimè גנוזים לצדיקים *Bona repoſita pro Juſtis*, &c. גן ערן לצדיקים *Pardiſus eſt pro juſtis.*

Ludamus pauliſper, cum Gemariſtis obiter, nam & ipſi luſitant de literis quibuſdam Alphabeti, atque inter alias de litera צ *Tſadi.*

Schabbath. fol. 104. 1. צדי כפופה וצדי פשוטה. *Eſt Tſadi non finalis* [incurvata. צ.] *& eſt Tſadi finalis* [erecta. ץ.] Quid inde? צדיק כפוף וצדיק פשוט. *Eſt juſtus incurvatus* vel inclinatus, *& eſt juſtus erectus.* Ubi Gloſſ. *Neceſſe eſt ut homo rectus, ſit inclinatus vel humilis, & erit tandem erectus in mundo futuro.* Eandem gloſſam agnoſcit *Aruch*, ſed & aliam affert quæ videtur eſſe ſua, Quod *ſit juſtus qui* ענין *Mitis vel humilis ſit, & Juſtus qui non.* Dicat velim qualiſnam ille Juſtus qui non ſit Mitis vel Humilis. Sed redimus ad rem noſtram.

II. *Juſtos* bipartiuntur, in צדיקים *Juſtos tantum*, & צדיקים גמורים *Juſtos perfectè.* Sub priori claſſe diſponunt illos qui non ſemper fuerunt recti, ſed vitæ pravæ atque non religioſæ, at qui tandem

tandem ſe receperunt ad pœnitentiam & pietatem. Hos vocant בעלי תשובה *Pœnitentes*. Sub poſteriori illos, qui ſemper fuerunt recti, atque à via recta nunquam declinarunt. Hos vocant, ut צדיקים נמורים *Perfectè juſtos*, ſic etiam צדיקים מעיקרא *Juſtos à prima ſuâ origine*, & חסידים ואנשי מפשה *Sanctos* vel viros *Bonos*, & *viros* bonorum *operum*. Talis ſibi, & forſan aliis viſus eſt ille, qui dicit, *Hæc omnia obſervavi à juventute meâ*, Matth. xix. 20. Et talis reputetur ההוא חסידא Sanctus ille in

Hieroſ. Chagigah, fol. 77. 4. אשר לא עבר חובה מן יומוי *Qui peccatum non commiſit omnibus diebus vitæ ſuæ*, hoc tantum infortunio excepto, שהקדים תפילין של ראש לתפילין של יד *Quod ſemel indueret Phylacteria frontalia, ante iſta brachii*. Grande certe delictum, at dolendum foret ſi ob hoc unum totius vitæ ſuæ peccatum, exueretur titulo חכיר נמור *Perfectè Juſti*. Prodiro hoc crimine, privatus eſt miſer ſolenni funeratione, & ſic pro eo facta expiatio.

Occurrit hæc diſtinctio *Juſtorum*, in

Beracoth. fol. 34. 2. *R. Abhu dicit in loco ubi ſtant* בעלי תשובה *Pœnitentes, non ſtant* צדיקים נמורים *Perfectè Juſti.*

Apparuit & diſtinctio, in linguis & perſonis tripudiantium in templo in Feſto Scenopegiæ.

Succah. fol. 53. 1. *Quidam eorum dixerunt, Benedicta ſit juventus noſtra quæ non pudefecit ſenectutem noſtram* אילו הסיידם ואנשי מעשה *Hi erant ſancti, & viri bonorum operum. Alii dixerunt, Benedicta ſit ſenectus noſtra quæ expiavit juventutem noſtram.* אילו בעלי תשובה *Hi erant illi qui pœnitentiam egerant.*

Phraſiologia צדיקים נמורים *Perfectè Juſti*, non poteſt non in animum revocare illud Apoſtoli, *Hebr.* xii. 23. Πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων. Ubi agitur ab Apoſtolo, ſi ſcopum ejus in tota iſta periocha, ego capio, de Juſtis adhuc in hac vita exiſtentibus, & oſtenditur, ut animæ vel ſpiritus credentium, perficiantur in Juſtitia per fidem, contra quod opinati ſunt Hebræi, Perfici homines in Juſtitia per opera etiam corporalia.

Cum illi quos æſtimarunt pro *perfectè Juſtis*, dicantur אנשי מעשה *Viri operum*, ita ut *Perfectè Juſti* & *Viri operum* conver-

tantur, forsan *Esseni* vel *Essei* dicti sunt à מעשה: ut עשאי illi vocarentur, id est *Operantes*, & sic distincti à *Pœnitentibus*. Sed de ista re non disputabimus.

III. Jam utram utri, Perfectam Justitiam Pœnitentiæ, an Pœnitentiam perfectæ Justitiæ prætulerint, difficilius est primo aspectu judicare, dum ab illis ipsis, de ea re diversum sit itum.

Disputationem habes in *Beracoth*, loco nuper citato viz. fol. 34. 2. his verbis, *Dicit R. Chaiah bar Abba. Dicit R Jochanan, Omnes Prophetæ non prophetarunt* אלא לבעלי תשובה *nisi pro iis qui agunt pœnitentiam.* = אבל צדיקים = גמורים *At quod ad Perfectè Justos attinet, Oculus non vidit præter te ô Deus*, Esai. lxiv. 4. *At contrariatur huic R. Abhu, Nam dicit R. Abhu, In loco ubi stant pœnitentiam agentes, non stant Perfectè Justi, sicut dicitur Pax Pax longinquo & propinquo*, Esai. lvii. 19. לרחוק רישא והדר לקרוב *Longinquum nominat primùm, & dein Propinquum. At R. Jochanan, Quis est Longinquus? Ille qui fuit longe à transgressione.* מעיקרא *ab initio. Et quis est propinquus? Ille qui fuit transgressioni proximus, at jam elongatur.*

Citantur hæc Talmudica à *Kimchio* in *Esai.* lvii. 19. atque ex eo, à *Drusio* in hunc locum, sed longe quantum ego video ab animo *Kimchii*. Nam sic *Drusius. R. David Jes.* 57. 19. *Hoc in loco pœnitens remotus dicitur & justus propinquus, juxta veteres. Remotus autem præponitur, unde dicunt, Potiores sunt pœnitentes iis qui perfectè justi sunt.* Ac si obtineret apud omnes pro axiomate, cum Kimchii hæc sint verba. *Remotus id est remotus ab Hierosolyma, & Propinquus propinquus Hierosolymæ --- Verum est discrepantia in verbis Rabbinorum nostrorum de hac re.* ומקצתם פירשו בהפך זה *Et quidam eorum interpretantur aliter, nam remotum interpretantur de pœnitentibus, & Propinquum de Justis, unde docent, & dicunt, quod potiores sunt Pœnitentes, Perfectè Justis.* Quidam qui sic interpretantur, dicunt quidem quod potiores sunt pœnitentes, sed minime erat hæc communis, & recepta sententia omnium. Imo generalius suffragium, dignitatem tribuit perfectæ Justitiæ, ita ut cum ea conferri non possit pœnitentia. Inde illud *R. Johannis*, applausum à *R. Chaija* Rabbino grandissimo, Quod bona & solatia illa, de quibus prophetarunt Prophetæ, pertinent solum ad eos, qui aliquando fuerunt peccatores, at jam egerunt pœnitentiam. At longe majora sunt illa, quæ

quæ repoſita ſunt pro perfectè Juſtis, nam illa nunquam revelata ſunt Prophetis, nec oculus propheticus unquam iſta vidit, ſed Deus ſolus, utpote quæ digniora eſſent quam ut revelarentur hominibus: Nam ſic verba eorum explicat gloſſa.

In hoc quidem dignitatem aliquam tribuerunt Pœnitentibus, quod quamvis guſtaverant dulcia peccata, tamen ea excuſſerant, & ſeſe ex iſtis retibus extricaverant, cum in dubio ſit, an perfectè Juſti ſi eadem guſtaſſent, idem feciſſent. At nobilius æſtimarunt, nunquam fœdatum ſuiſſe pollutione peccati, & ſemper fuiſſe juſtum & nunquam non bonum. Et non rara eſt jactantia quorundam apud Talmudicos de perfectione ſua, & quod nunquam in tota vita enormia patraſſent. Et tales quos חסידי׳ה *Sanctos* vel *bonos* vocarunt qui iidem erant cum צדיקי׳ה גמורי׳ה *Perfectè Juſtis*, in ſuprema claſſe *Juſtorum* collocant.

IV. Jam igitur judica an ſalvator directe & ſimpliciter loquatur de ullis quibus realiter non eſt opus pœnitentiâ, an non potius loquatur ſecundum communem conceptum gentis de perfecte Juſtis, cui contrariatur.

Idque videtur eô potiùs, quod dicat, *Ego dico vobis*, quaſi adverſetur communi ſententiæ; atque exemplum quod profert de quodam non indigente Pœnitentiâ, fratre ſcil. Prodigi, Judæum potius ſapit, quam verè Juſtum.

Ver. 8. Γυνὴ ἅπτει λύχνον.

Similis parabola in *Midras Shir.* fol. 3. 2. *R. Phinehas ben Jair expenit. Si ſapientiam quæſiveris ut argentum: id eſt ſi quæſiveris res legis ſicut theſauros abſconditos--- Parabola. Res ſimilis eſt homini* אי׳ה מאבד סלע או בילרין *qui ſi perdat ſolidum, aut ornamentum aliquod in domo ſua,* מדליק כמה נדות *Accendit aliquot candelas, aliquot faces, donec inveniat. Quod ſi ita pro rebus hujus mundi, quanto magis pro rebus mundi futuri.*

Ver.

Ver. 11. Ἄνθρωπός τις εἶχε δύο υἱούς.

Sic applicare hanc Parabolam, ut filius primogenitus *Judæum* denotet, junior *Gentilem*, non eſt novum. Et certe primogenitus, in hoc Judæum ſatis videtur ſapere, quod jactet de ſua obedientia, *Nunquam prætervi mandatum tuum*, & quod adverſetur receptioni fratris jam reſipiſcentis: ut nihil Judæis gravius, quam receptio Ethnicorum.

Ver. 13. Διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ζῶν ἀσώτως.

Num hic prodigus æſtimandus pro בן סורר ומורה *Filio protervo & rebelli*, de quali mentio, *Deut.* xxi. 18. Nequaquam, judice ipſo Synedrio: nam quidem ſecundum characterem, quo depingitur filius protervus & rebellis in *Sanhedr.* cap. 8. Ubi agitur de tali ex inſtituto, vix reperiendus eſt talis in rerum natura. Niſi ſurripiat à patre & matre non eſt talis: Niſi edat תרטימר בשר dimidiam libram carnis, & bibat dimidium Leg vini non eſt talis. *Si* vel pater vel mater claudicet aut cæcutiat non eſt talis, &c. Dimidiam libram carnis? *Maximinum bibiſſe ſæpe in die vini Capitolinam amphoram conſtat: comediſſe & quadragintalibras carnis: ut autem Cordus dicit, Sexaginta.* Jud. Capitolin. in Maximino.

CAP.

CAP. XVI.

Ver. 1. Ὃς εἶχεν οἰκονόμον.

RESPICERE videtur hæc Parabola, morem iſtum in elocandis agris, de quo agitur *Demai*, cap. 6. Ubi ſupponitur agrum elocatum eſſe à domino, alicui ſub hac conditione, ut ſolvat agricola frugum, vel partem dimidiam, vel tertiam, vel quartam, prout conventum inter eos fuerit, de proportione aut quantitate. Sic etiam de Oliveto iiſdem conditionibus elocato. Et diſputatur ibi, de ſolutione decimarum, quonam modo componenda inter poſſeſſorem & agricolam.

Οἰκονόμος *Kimchio* eſt פקיר *Pakidh*. Eſai. xl. ubi habet Parabolam non diſſimilem. *Mundus*, inquit ille, *eſt ſicut domus ſtructa, cœlum eſt tectum domus. Stellæ ſunt lucernæ in domo. Germina terræ ſunt ſicut menſa parata in domo. Dominus domus, & qui eam ſtruxit, eſt Sanctus benedictus. Homo in mundo.* כמו פקיר *eſt ſicut* Οἰκονόμος, *in cujus manus tradidit dominus omnes opes ſuas.— Si ille benè ſe geſſerit, inveniet gratiam in oculis domini ſui. Sin malè* יעיברנו מן פקידתו *dimovebit eum ab Oeconomatu ſuo.*

Ver. 3. Σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι.

Nonne datur tertium inter, *Aut mihi fodiendum, aut mendicandum?*

Diſtinctio inter אומנין *Artifices*, & פועלין *Operarios*, de quibus *Bava Mezia*, cap. 6. & 7. locum hic habet.

Verſans hic Oeconomus inter agricolas ſolùm, ſupponitur nullius artificii eſſe peritus: quin quod ſi ad victum manibus quærendum ſit adactus, neceſſe ſit ei, ut ad fodiendum in vineis aut agris aut Olivetis, ſeſe applicet.

Ver.

Ver. 6. Δέξαι σου τὸ γράμμα, &c.

Id eſt, Accipe à me שטרך ſchedulam contractus tui, quam mihi tradidiſti, & cito ſcribe novam, de quinquaginta tantum *Batis* debitis, &c.

At videtur inæqualius, cum ſubducuntur *quinquaginta* Bati olei, de centum, & *viginti* tantum cori tritici, de centum: Niſi quod *Corus* decuplo excederet menſuram *Bati*: Ita ut cum remitterentur debitori, viginti Cori tritici, remiſſi ſunt ei ducenti bati vel ephæ tritici.

Ver. 9. Ἐκ τοῦ Μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας.

I. Si certò conciperem ſalvatorem hac in Periocha, agere de divitiis benè partis, & de Eleemoſyna ex iis danda, non redderem *De Mammona iniquitatis*, ſed *de Mammona* Noxæ. Nam Ἀδικεῖν eſt *Nocere*, æquè ac *Injuſtè agere*, Apoc. vii. 3. Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν. vulg. *Nolite nocere terræ*. Vid. & cap. xi. 5. & Luc. x. 19, &c. Et ſic divitiæ etiam bene partæ, dici poſſunt Μαμμωνὰ ἀδικίας, *Divitiæ nocumenti* aut læſionis, quia non raro noxiæ ſunt poſſedentibus; Juriſtis eſt ממון נזק *Nocumentum Mammonæ*, [*Maimonides* tractatum habet iſto titulo נזקי ממון] id eſt cum aliquis aliqualiter lædit aut damno afficit opes alterius. Et reverâ, & vice verſa ממון נזק *Mammon nocumenti*: i. e. cum opes nocent, ac in malum vertuntur poſſeſſori. Et ſi arbitrarer Chriſtum de divitiis benè partis loqui, conjectarem etiam cum hac voce נזק uſum, niſi quod Phraſiologia ממון נזק non adeo uſitata in gente ac ממום נזק.

II. Aut opinarer, ſalvatorem, Mammonam *Injuſtitiæ*, oppoſuiſſe Mammonæ צדקה *Juſtitiæ* i. e. *Eleemoſynæ*: nam iſta voce *Juſtitiæ* צדקה, Judæos *Eleemoſynam* inſigniiſſe nemo non novit. Ac ſi animus ejus hic eſſet, Facite vobis amicos ex opibus ἀδικίας *Injuſtitiæ*, id eſt, ex iis quas non adhuc erogaſtis in צדקה *Juſtitiam*, i. e. *Eleemoſynam*. Verum captum meum ſuperat excogitare, quanam una voce exprimere poſſet Ἀδικίαν hoc ſenſu.

III. Non video ergo quare non liceat, imo quare non neceſſe ſit,

ſir, verba præcisè intelligere de Divitiis, aut opibus partis malè: Nam

I. Sic quadrat appoſitiſſime applicatio Parabolæ, cum Parabola. Iſte Oeconomus comparavit ſibi amicos ex opibus malè partis, ſic & vos comparate vobis amicos, ex opibus veſtris male partis.

Object. At vah Chriſtum animare aut hortari, ad acquirendas opes injuſte? Aut ad dandam eleemoſynam, ex injuſte acquiſitis?

Heinſius. *Nemo non fatebitur, nihil minus voluiſſe Dominum, quam ut quis opibus malè partis amicos ſibi paret.* Fateor me hæſitare, idque non ſine aliqua ratione.

II. Penſitemus enim quibuſnam vocabulis, linguâ Syriacâ protulerit Chriſtus Μαμωνᾶ Ἀδικίας, ſi locutus fuerit cum vulgo.

Vulgatiſſima erat Phraſiologia ממון רשקר. Si Targumiſtæ loquantur vulgari Idiomate gentis, quod nemo negaverit.

1 *Sam.* viii. 3. *Non ambulaverunt filii Samuelis in via ejus* ואיתפניאו בתר ממון רשקר *Sed reſpexerunt poſt Mammon falſitatis.*

Prov. xv. 27. *Perdit domum ſuam* מכנש ממון רשקר *qui congregat Mammonam iniquitatis.*

Eſai. xxxiii. 15. *Qui ambulat in juſtitia, & loquitur recta,* ומתרחיק מממון רשקר *& ſeparat ſe à Mammon iniquitatis.*

Ezech. xxii. 27. *Ad effundendum ſanguinem innocentem, & ad perdendas animas* ברייל לקבלא ממון רשקר *Ut ſuſcipiant Mammonam iniquitatis.*

Non opus eſt commentatore, qui doceat quid ſibi velint Targumiſtæ per *Mammonam falſitatis vel iniquitatis*: ipſi ſeipſos interpretantur, dum reddunt aliquando ממון אונכין *Mammon violentiæ*, Ezech. xxii. 13. aliquando ממון דרשע *Mammon impietatis*, Hab. ii. 9. *Kimchius* ממון של גזל *Mammon rapinæ* in Eſai. xxxiii.

Obiter non notare non poſſumus quod אחרי צו *Poſt præceptum*, i. e. *Jeroboami*, vel *Omri*, Hoſ. v. 11. redditur à Targ. בתר ממון רשקר. Ubi etiam vide Græc. & vulg.

Jam ergo cum Μαμωνᾶς ἀδικίας plane ſit idem Græcè, quod

ממון רשקר Targumiſtis, qui loquuntur cum vulgo, nulla apparet ratio, quare ipſiſſimo eodem ſenſu non ſit ſumendum. Cogita tecum quonam vocabulo uſus ſit ſalvator, quo exprimeret Ἀδικίας, & quodnam probabilius judicaveris, quam hoc ipſum quod genti tam notum, frequens, & uſitatum. Syrus habet עולא quod negry quidem minuit de ſenſu alterius.

Emollitur quidem vox Ἀδικ& hoc in loco à nonnullis, ut denotet tantum *Fallax* aut *non verus*: ita ut Μαμμωνᾶς ἀδικίας ſit *Mammona non vera*: non oppoſitis divitiis bene partis partis malè, ſed oppoſitis divitiis terrenis, ſpiritualibus: Quæ vocabuli verſio inde eſt orta præcipuè, quod horrendum videatur, ſuadere velle Chriſtum ut faciant ſibi amicos per eleemoſynas ex male partis: ut & quod ver. 11. Ἀδικ& opponitur τὸ ἀληθινῶ.

III. Non dubitandum eſt, quin quod diſcipuli Chriſti, jam abhorruerint ab acquirendo divitias per fraudem aut rapinam: at num eos abſolves ab iſto reatu, ante eorum converſionem? Num nominatim *Matthæum* Publicanum? Et num tam horridum eſt, Chriſtum eos hortari, ut faciant ſibi amicos per reſtitutionem & piam diſtributionem iſtarum opum, quas adhuc non converſi malè atque impiè corraſerant? De reſtitutione eſt ſermo, non de eleemoſyna.

IV. Continuat Chriſtus ſermonem ſuum hoc in loco, cum præcedenti, cap. xv. niſi quod hic peculiariter ſe applicet ad ſuos diſcipulos, ver. 1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Ubi vocula καὶ connectit præſentia cum antecedentibus. Quinam autem erant diſcipuli? Non duodecim Apoſtoli tantum, nec Septuaginta diſcipuli tantum, ſed πάντες οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοί. *Quamplurimi Publicani & Peccatores*, cap. xv. 1. nam & hos intra numerum diſcipulorum non cenſere non potes, ſi animadvertas diſtinctionem congregationis jam præſentis, inter Scribas & Phariſæos, atque inter illos qui bono audiendi animo acceſſerant: Sique obſerves ut Chriſtus eos receperit, cum iis verſaretur, & pro iis advocatum agat in parabolis, capitis præcedentis. Qua pro iis Apologiâ, contra Scribas & Phariſæos finitâ, jam ad ipſos orationem ſuam convertit, & ſub Parabola de Oeconomo injuſto, hortatur ut illi etiam faciant ſibi amicos ex opibus ſuis injuſte partis, prout fecit ille. Et quidnam quæſo potuit dici opportunius aut magis tempeſtivè coram avaris & injuſtis Phariſæis, quam ſuos

movere,

movere, ut ſi quid injuſtè partum ab iis fuerit ante eorum converſionem, honeſtè reſtituant, & pie diſtribuant, ut ſic acquirant ſibi amicos, ſicut fecerat Oeconomus.

Pro commentario hic ſit exemplum, *Zachæi*, cap. xix. Si Chriſtus ab eo hoſpitio exceptus, idem illi dixiſſet quod hic ſuis, *Zacchæe fac tibi amicos ἐκ Μαμμωνᾶ ἀδικίας*, num aliter vel *Zaccheus* vel auditores intelligere potuiſſent, quam fac tibi amicos ex opibus tuis male partis? Et quare verba hoc in loco, non ſint eodem ſenſu intelligenda, ego quidem non capio. Præſertim vero cum inter diſcipulos quos alloquitur, fuerint Publicani, peccatores, & vix ullus, quod novimus, qui non ante converſionem, fuerit injuſtus, & iniquus ſatis.

Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους.

Quamvis conciperem per *Mammonam ἀδικίας*, intelligendas eſſe opes benè partas, & ſermonem eſſe de Eleemoſyna, vix tamen ſupponerem *Pauperes*, eſſe amicos de quibus eſt ſermo, ſed Deum & Chriſtum: ut *Matth.* xxv. 35, &c. Nam quinam alii poſſunt recipere in tabernacula æterna? Quod de pauperibus, in quos collata fuit eleemoſyna, ſic facientibus, fingitur à nonnullis, ſomnium eſt, & riſum meretur, potius quam examen.

Bava kama. fol. 94. 2. Diſputatur de reſtitutione rerum malè partarum, atque inter alia hæc habentur. *Tradunt Rabbini* הגולנין וכולי בריבית *Rapaces* aut fures & *fœneratores ſi reſtituant, non recipiunt ab iis reſtitutionem.* Et paulo poſt רועין והגבאין ומוכסין השונתן קשה *Paſtorum, exactorum, & Publicanorum, reſtitutio eſt difficilis* [Gloſſ. Quia ſuppilarunt à multis & non norunt quibus reddant.] ומחזירין למכירין *At reſtituunt tamen iis, qui norunt* ſua ab iis ſuppilata. *Verum dicunt reſtituunt, at non recipiunt alii. Quare ergo reſtituunt?* לצאת ידי שמים *Ut fungantur officio ſuo erga Deum.*

Quanam curioſitate non permiſerint reſtituta recipi ab illis à quibus erant ſuppilata, non quæremus: Neceſſe tamen erat ut fieret reſtitutio [& reſtituta. Si poſſeſſores non noſſent ſua, ceſſerunt in uſum publicum. לצורכי ציבור In uſum ſcilicet Synagogæ] ut præſtaretur illud quod debitum Deo, nempe non retinere in manibus male parta, ſed ad uſum bonum abdicare.

Et sic Deum amicum facere ἐκ μαμμωνᾶ ἀδικίας, ex injuste partis.

Ver. 11. Εἰ οὖν ἐν τῷ ἀδίκῳ Μαμμωνᾷ, &c.

Vulg. *Si in iniquo Mammona fideles non fuistis.* Nec malè.

At num possibile, ut quis fidelis sit in iniquo Mammona? Judica ex exemplo *Zacchæi*: Quamvis ille non fidelis in injuste corradendo, fidelis tamen maxime in pie distribuendo.

Ver. 12. Εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, &c.

Τὸ ἀλλότριον, applicare ad opes ut sunt à Deo concessæ, obscurius est. Applicare autem ad opes hominum aliorum, sensum emollit. Si injusti fuistis in acquirendis bonis aliorum, atq; injuste detinebitis, qua ratione expectetis ut alii non agant vobiscum etiam injuste, & vestra detineant.

Ver. 16. Καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.

Variari possunt hæc verba in sensum planè contrarium: ut vel denotent acceptationem Evangelii, vel ejus persecutionem, *Beza. Quivis in illud vi perrumpit*, quod videtur priorem amplexari. Vulg. *Quivis in illud vim facit*, quod posteriorem. Priorem, ut usitatiorem & receptiorem admisimus ad *Matth.* xi. 12. Posterior videtur huic loco congruentior, si modo continuatam & connexam vis orationem salvatoris à ver. 15. & versiculum à versiculo dependentem.

Laxi quidem & luxati pendere videntur versiculi, & minime inter se cohærentes: & tamen nulla est ratio quare opinemur Christum non hæc connexuisse, quamvis connexio primo intuitu non sit adeo perspicua. Morem scholarum observo in hac ipsa difficultate. Nam in utroque Talmude occurrunt frequentissimè tales transitiones, obscuritatis primo aspectu stupendæ, & inextricabilis, & nullius cohærentiæ omnino: quas tamen Commentatores reddunt planas, perspicuas, atque optime inter se cohærentes.

Ego continuatum ejus sermonem sic connexuerim.

Vos me deridetis [Ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν, v. 14.] & doctrinam meam

am ludibrio habetis, & vosmetipsos supra ejus sphæram esse jactatis, atque ad vos minime pertinere aut pertingere ea quæ dico. Nec mirum, nam cum lex & Prophetæ fuerint usque ad *Johannem*, vos nihilo secius cum iis egistis, sed glossematibus, & traditionibus vestris ea pro libitu vestro ad placita vestra mutastis & torsistis.

Et cùm cum Johanne Baptista exurgeret & intraret regnum cœlorum Πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, unusquisque violenter atq; hostiliter contra illud agit per contradictionem, irrisionem & persecutionem.

Quamvis autem vos totam legem vacuam inanemque stolidis vestris traditionibus reddidistis, facilius tamen est ut cœlum & terra evanescant, quam ut concidat legis apex unus.

Instantia esto in primo & vetustissimo legis præcepto, *Vir adhærebit uxori*, quod vos quidem per traditiones, & arbitraria divortia vestra in nihilum redigistis: manet tamen, manebitque in perpetuum in proprio vigore & virtute. Et qui dimittit uxorem secundum licentiam divortiorum vestrorum atque aliam ducit, mœchatur.

Ver. 19. Ἄνθρωπος Τις ἦν πλούσιος.

Quicunque hanc non crediderit esse Parabolam, sed Historiam, credat etiam fratricellis, qui monumenta Hierosolymitana peregrinantibus ostendunt, & digito monstrant, *Is hoc loci erant ædes divitis epulonis.* Accuratissimi quidem illi custodes vetustatis, qui post tot annorum Centurias, post tot *Hierosolymorum* eversiones, vastationes, mutationes, locum tam privatæ domus ruspari possunt, & talis præsertim, quæ nunquam fuit in rerum natura, sed solum in Parabola. Nam Parabolam esse, præterquam quod consentiunt Commentatores quidem omnes, etiam res ipsa loquitur.

Præcipuus ejus scopus videtur esse ut indigitetur perditio Judæorum non credentium, qui *Mosen* habuerunt & Prophetas, & tamen non crediderunt, imo non crediderunt cum quidem [Christus scil.] resurrexerat à mortuis: nam ista conclusio parabolæ, ver. 31. satis indicat quo collineetur.

Ver.

Ver. 20. Λάζαρος.

I. Quod לעזר *Lazar* contractè uſurparetur à Hieruſolymitanis pro אלעזר *Eleazar* oſtendimus pluribus exemplis ad *Johan.* xi. 1. Atteſtatur author

Juchaſin, fol. 81. 1. בירושלמי לכל ר אלעזר כותב בלא אלף ר לעזר *In Talmude Hieroſolymitano ubiquiſque, R. Eleazar, ſcribitur abſque Aleph, R. Lazar.*

II. In *Midras Coheleth*, fol. 98. 2. Eſt mendicus, cui nomen דגלוס פטרגוס *Diglus Patragus*, vel *Petargus*. כסכין השיש ערטיל וכפין *Pauper, infirmus, nudus & famelicus.* At vix excogitari potuit nomen mendico magis congruens, quam *Lazar*, quod *Adjutorium Dei* ſonat, cum careat ille adjutorio hominum.

Aſt aliquid ulterius ſuſpicor in hoc nomine ſuſpiciendum, nam cum de *Abrahamo* & *Lazaro* eſt ſermo, quis non illico in mentem revocat *Abrahamum* & *Eleazarum* ſervum ejus, *Gen.* xv? Damaſcenum, Ethnicum origine, in potentia aliquando hæredem *Abrahami*, ſed ab hæreditate excluſum per nativitatem *Iſaaci*, aſt hic ille reſtitutus in ſinum *Abrahami*. Quod an vocationem Ethnicorum ad fidem *Abrahami* non innuat, lectori relinquimus judicandum.

Gemariſtæ certe *Eleazarum* conſociant cum hero ſuo, etiam in ſpelunca *Macpelah*.

Bava bathra, fol. 58. 1. *R. Banaah pinxit ſepulchra: Cum perveniret ad ſpeluncam Abrahami, invenit Eleazarum ſtantem ad ejus oſtium. Dicit illi, quid agit Abrahamus? cui ille* גאני בכנפה רשרה *Cubat in amplexibus Saræ. Et Banaah, Ito & dic illi, Banaah eſt præſoribus*, &c.

Ἡλκωμένος.

Hebræis טוכה שחין. Aliquando נופו מלא שחין: ut in iſta hiſtoria.

Taanith. fol. 21. 1. *Dicunt de Nahum Gamzu, quod erat cæcus, mancus utraque manu, claudus utroque pede*, וכל נופו מלא שחין *& toto corpore ulceroſus. Projectus in domum ruinoſam. Pedibus lecti ejus poſitis in pelvibus aqua plenis, ne irreperent in eum formicæ.-- Dicunt ei diſcipuli ejus, Rabbi unde hoc tibi malum, cum tu ſis vir juſtus?* Et refert ipſe rationem, quia diſtulit dare

re aliquid pauperi ab ipſo mendicanti. Quam hiſtoriam etiam habes in *Hieroſ. Peah.* fol. 21. 2. Ubi varietas in ea narranda notatione digna.

Ver. 22. Καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων.

Comminiſcuntur magiſtri, adeſſe ad mortem impiorum, tres cohortes Angelorum malorum, proclamantium, *Nulla pax impiis dicit Dominus. Bemidbar rabb.* fol. 245. 4.

At quid de Angelis præſentibus ad mortem piorum ſenſerint, judica ex

Hieroſ. kilaim, fol. 32. 3. *Tſipporienſes dixerunt, Quicunque nobis dixerit Rabbi* [*Judam*] *eſſe mortuum, nos eum interficiemus. Intuitus eſt eos Bar kaphra, capite lacernis velato, & dixit, Sancti & Angeli prehenderunt tabulas fœderis, prævaluitque manus Angelorum, atque illi tabulas abripuerunt. Dixerunt illi, Num mortuus eſt Rabbi?* Senſus Parabolizantis hic eſt, Sancti homines voluerunt retinuiſſe *Rabbi* in vivis, verum Angeli eum abripuerunt.

Εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ.

Et ver. 23. numero plurali, Ἐν τοῖς κόλποις· quod ſenſum non variat, ſed adauget.

Sub triplici Phraſiologia diſponunt ſcholæ Judaicæ animas Juſtorum poſt mortem, ſed vix dixeris, ſub triplici ſtatu.

I. גנן ערן *In horto Edenis*, vel Paradiſo.

Vice plurium quæ hic adduci poſſent ad nauſeam uſque, ſumamus tantum inſtantiam in eo, cujus nomen hic occurrit, *Abrahamo.*

Midras Tillin. fol. 3. 1. *Erit ſicut arbor plantata juxta rivos aquarum. Hic eſt Abrahamus, quem accepit Deus, & plantavit in terra Iſraelis. Vel, Quem accepit Deus* וישתלו בגן ערן *& plantavit in Paradiſo.*

Adde etiam ſi vis alium, æqualis famæ & pietatis, *Moſen.*

Temurah. fol. 116. 1. בשעה שנפטר משה רבינו לגן ערן. *Cum Moſes magiſter noſter diſcederet in Paradiſum, dixit Joſua, ſi haret tibi dubium de re quavis, de eo jam me interroga.*

II.

II. תחת כיא הכבוד *Sub throno gloriæ.*

Avoth R. Nathan, cap. 10. Longa est historia de Angelo mortis missо à Deo ut eriperet animam *Mosis*, quod cum præstare non posset, *Prekendit eam Deus ipse* הכבוד כסא תחת ונזה & *thesaurizavit eam sub throno gloriæ.*

Et immediatè, *Nec solum repositа est anima Mosis sub throno gloriæ, sed & animæ aliorum justorum reponuntur sub throno gloriæ.*

Moses in verbis ante citatis, est *in Paradiso*, in his, est *sub throno gloriæ*, in Pesikta, fol. 93. 1. est *in cœlis ministrans Deo*: sub variis Phrasiologiis exprimitur res una eademque, & specialiter docetur גן ערן *Paradisum*, non de terrestri intelligi, sed cœlesti.

Prope ad *Repositionem sub throno gloriæ*, accedit illud, *Apoc.* vi. 9. *Animæ sub altari clamarunt*, &c. Nam & altare esse solium divinæ gloriæ judicarunt Judæi, atque illius ergò sedes Synedrii erat prope altare, ut divinæ majestatis reverentiâ tam propinquâ, regerentur in judicando. Verùm cum de animabus martyrum pro Deo sanguinem suum effundentium ibi sit sermo, alludo fit ad sanguinem victimarum fusum ad altaris basin.

III. בחיקו של אברהם *In sinu Abrahami*: Quod quid sit, non opus est ut ulterius quæras, si modo Pontificiis credes. Nam sic *Rhemenses* de nostratibus [quod dolendum] in hunc locum, linguâ nostrâ.

The bosom of Abraham is the resting place of all them that died in perfect state of grace before Christs time, heaven before being shut from men. It is called in Zachary a lake without water, and sometimes a prison, but most commonly of the divines, Limbus patrum: *for that it is thought to have been the higher part or brim of hell*, &c. Id est, Sinus Abrahami, est locus ubi requieverunt omnes illi qui moriebantur in perfecto statu gratiæ, ante tempora Christi, cœlo antea clauso hominibus. Vocatur in Zacharia *Lacus absque aqua*, interdum *Carcer*, sed vulgatissimè à Theologis, *Limbus patrum*, quippe quod supponatur eum fuisse partem superiorem, vel marginem Orci.

Si Christus hanc Phrasiologiam primus cuderat, tum ab incude Christiana tolerabilius erat quærere ejus significationem: At cum forma loquendi foret genti Judaicæ usitata, nec loquatur ille nisi

niſi cum nota & vulgari Dialecto gentis, ab iis quærenda eſt ejus ſignificatio, non à Lexico quovis, vel Græco vel Romano. Quomodo ab auditoribus tum præſentibus intellecta hæc fuerint, eſt illud quod nobis quærendum eſt: & quovis pignore certaverim ego, Judæos cum de *ſinu Abrahami* eſſet ſermo, nihil minus in animo habuiſſe quam limbum talem qualis hic deſcribitur. Quid? *Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Moſes*, &c. In lacu abſque aqua, in carcere, in ipſo margine *Gehennæ*? Num hoc eſt eſſe בגן ערן *In Paradiſo?* Num hoc, eſſe תחת כסא הכבוד *Sub throno gloriæ?* Et num huc Lazarus tranſvectus ab Angelis, cum tralatus *in Sinum Abrahami?*

Occurrit Phraſiologia apud Talmudicos in *Kiddushin.* fol. 72. & citatur locus iſte à *Juchaſin*, fol. 75. 2. Mutuemur patientiam lectoris, ut totam Periocham Talmudicam exſcribamus.

Dicit Rabbi [Judah] הא *Levi*, הראני פרסיים. *Per aliquam ſimilitudinem repræſenta mihi Perſas. Dicit ille, ſunt ſimiles exercitui domus Davidis.* הראני חברין *Repræſenta mihi Iberos. Similes ſunt* לגלאכי חבלה *Angelis deſtructionis. Repræſenta mihi Iſmaelitas.* לשעירים של בית הכסא *Similes ſunt Diabolis latrinæ. Repreſenta mihi diſcipulos ſapientum qui ſunt in Babylonia. Similes ſunt Angelis miniſtrantibus.* כי הוה ניהא נפשיה דר *Quummoreretur Rabbi* [Judah] *dixit ille.* הומניא איכאבבל *Hamnia eſt in Babylonia, conſtat tota ex Ammonitis.* מסגריא איכא בבבל *Meſgaria eſt in Babylonia, conſtat tota ex ſpuriis.* בירקה איכא בבבל *Birkah eſt in Babylonia, ibi duo homines mutarunt uxores ſuas inter ſe* ברתא דסטיא איכא בבבל *Birtha Sataia* [vel declinantium] *eſt in Babyloria, atque hodie recedunt à Deo.* אכרא דאגמא איכא נבבל *Acra Agmæ eſt in Babylonia.* היום אדא בר אהבה יש בה *Ada bar Abavah eſt ibi.* יושב בחיקו של אברהם *Hodie ſedet ille in ſinu Abrahæ.* היום נולד רב יהודה *Hodie naſcitur Rabb. Judah in Babylonia.*

Non bene convenit inter commentatores, nec à quo dicta ſunt iſta verba, [*Hodie ſedet ille in ſinu Abrahæ:*] nec de quo dicta: atque hujus ergo, totam Periocham exſcripſimus, ut lector inter eos determinet.

Author *Juchaſin* opinatur eſſe verba *Adæ bar Ahavah* dicta de *Rabbi Juda*. Gloſſator alius, dici verba de ipſo *Ada bar Ahavah*. Audiamus utrumque.

Juchaſ. *Quo die mortuus eſt Rabbi, Rabh Adah bar Ahavah dixit, per prophetiam, hodie ſedet in ſinu Abrahæ.*

Gloſſ. *Sunt quidam qui ſic interpretantur, hodie ſedet in ſinu Abrahæ id eſt, hodie mortuus eſt: quod, ſi intelligendum eſt de morte Adæ bar Ahavah non congruunt tempora.--- Intelligendum ergo videtur hodie ſedet in ſinu Abrahæ, hodie Adah bar Ahabah circumciditur, atque intrat fœdus Abrahami.*

At nonne planè vides lector, perlecta Periocha, quod verba iſta, nec ab *Ada* dicta ſunt, nec de *Ada*, ſed dicta ſunt à *Levi* de quo mentio in initio Periochæ, & dicta de *Rabbi Judah* jam mortuo. Et dicit *Levi* etiam, quod vice ejus, ipſo iſto die naſceretur *Rabh. Judah* in Babylonia. Secundum commune adagium ſcholarum quod immediate ſequitur. *Non moritur juſtus antequam naſcatur vice ejus, alter ei ſimilis.* Sic dicit R. Meir. *Cum moritur R. Akibah, naſcitur Rabbi* [Judah] *cum moritur Rabbi Judah, naſcitur Rabh. Judah Cum moritur Rabh. Judah, naſcitur Rabba, cum moritur Rabba, naſcitur Rabh. Iſai.*

Habemus igitur hic, ſi hiſtoriam compingas ex utroque Talmude, aliam huic noſtræ non diſparem. In Hieroſolymitano, aufertur *Rabbi Judah* per Angelos, in Babylonico, collocatur in ſinu *Abrahæ*: Nec de re aut Phraſiologia quicquam dubitaſſet Gloſſator, nec ad novam interpretationem refugiſſet, niſi quod erraret circa perſonam de qua verba ſunt dicta. Supponit dicta eſſe de *Adah bar Ahavah* [in qua re fallitur] & quoniam non congruunt tempora, ſi de morte ejus ſint intelligenda, ille cudit de ſuo novam interpretationem, dum interim fateatur alios aliter interpretari.

Senſum Phraſiologiæ ergo, ſecundum communem interpretationem, expiſcari licet, obſervando primùm, quod vulgo creditum eſt à Judæis, Animas puras & Sanctas, cum migrarent è corpore, tranſire in beatitudinem, ad *Abrahamum*.

Secundum communem conceptum gentis hac in re, loquitur ſalvator cum dicit, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & diſcumbent cum Abrahamo.*

Et liceat hanc hiſtoriam prolixius aliquantùm exſcribere,

Midras

Midras Echah. fol. 68. 1. Erat fœmina mater septem martyrum, [sic 2 *Maccab.* 7.] Cum jam interfecti essent sex ejus filii, & productus ad necem foret natu minimus, puerulus duorum tantum annorum & dimidii, *Dixit mater Cæsari* בחיי ראשך *Per vitam capitis tui obsecro te Cæsar, ut liceat mihi filiolum meum amplecti & exosculari. Cum permissum esset, produxit illa ubera & lactavit. Tum illa, per vitam capitis tui imploro Cæsar, ut me primò interficias, & deinde illum. Respondit Cæsar in hac re ego tibi non auscultabo, nam scriptum est in lege vestra, vaccam, aut ovem, & fœtum ejus non mactabis die eodem. Cui illa* שוטה שבעולם *O stultissime mortalium, num Præstitisti omnia præcepta ut hoc tibi tantum desit? Extemplo jubet ille ut puerulus trucidetur. Ruens mater in amplexus filioli exosculata est, & dixit,* בני לך אצל אברהם אביך *Ito ô fili mi ad Abrahamum patrem vestrum, & dic ei, sic dicit mater mea, Neglorieris tu dicens ego struxi altare atque obtuli Isaacum filium meum. Nam mater mea struxit septem altaria, atque obtulit septem filios die uno,* &c.

Non dubitavit absque dubio de innocentia & puritate animæ hujus pueruli, ut nec de futura ejus fœlicitate [nam supponamus veritatem historiæ] quam fœlicitatem satis per hoc exprimit, quod filiolus iturus esset ad patrem suum *Abrahamum.* Plura in eundem sensum, ejusdemque farinæ, produci possent, sed pluribus non est opus: vide tamen, ver. 24.

Jam vero quid, *Esse in sinu Abrahami,* iis significaret, conjice ex istis quæ de moribus & morte istius *R. Judæ* dicuntur, de quo dicitur היום יושב בחיקו של אברהם *Hodie ille sedet in sinu Abrahæ.*

Hierosol. kilaim. fol. 32. 2. *Rabbi Judah dolnit dentibus tredecim annis: & toto isto tempore non abortiebatur fœmina in terra Israelis.* Nam ad eum applicant ista Propheræ, *Ille est vir arumnarum, & ille tulit dolores nostros,* Esai. Liii. atque ob hos ipsos dolores, persuasum ferè est nonnullis, illum esse *Messiam.* Sanatus est tandem dolor dentium per *Eliam* apparentem in effigie *R. Chaijæ Rabbæ.* & tacto dente, medentem. Cum moreretur ille & sepeliendus esset vesperiis Sabbati, comitatæ sunt eum octodecim Synagogæ ad sepulchrum: בעשו ניסין ותלת לון יומא *Acta sunt miracula, dies non declinat usque dum unusquisque ad propria*

se receperat, ante introitum Sabbati, Bath kol, eum lugentibus beatitudinem pronuntiat, quendam tamen nominatim excipiens: qui cum se exceptum nosceret, de tecto se præcipitavit, atq; obiit, &c. Et ne plura: Ob egregiam & incomparabilem ejus doctrinam, & pietatem, dictus est *R. Judah* קדוש *Sanctus*: Et quonam talem transiturum putaret Judæus, cum è terris migraret? Quisnam inter eos, cum de eo diceretur quod *erat in sinu Abrahami*, non absque omni scrupulo intelligeret, eum esse etiam in ipsis amplexibus *Abrahami* [prout soliti sunt discumbere ad mensam unus in sinu alterius] in summis deliciis, summæ fœlicitatis Paradisi. Non in lacu inaquoso, carcere, margine Gehennæ.

Ver. 23. Ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν καὶ Λάζαρον.

Pro Commentario accipe aliam Parabolam quam legere est in *Midras Ruth.* fol. 44. 2. & *Midras Cohelet.* fol. 86. 4.

Sunt impii qui in hoc mundo consociantur. At unus eorum agit pœnitentiam ante mortem, alter non. Reperitur ille stans in cœtu justorum, hic in cœtu improborum. Atque hic videt illum [convenit hoc cum verbis sub manibus,] *& dicit væ mihi, Est acceptatio personarum hac in re. Ille & ego furabamur simul, homicidium patravimus simul, at jam stat ille in cœtu justorum, ego in cœtu improborum. Respondent ei* שוטה שבעולם *ô stultissime hominum omnium qui sunt in mundo. Tu abominabilis, & projectus fuisti per triduum post mortem tuam & non demiserunt te in Sepulchrum: Subter te stratus est vermis, & vermis te cooperuit: Quod cum soleus hic tuus intelligeret, ille egit pœnitentiam: Et in manibus tuis erat egisse pœnitentiam, at non egisti. Dicit illis, permittite me jam ut vadam & agam pœnitentiam. At illi, ô stultissime hominum nonne nosti quod hic mundus* [in quo jam es] *similis est Sabbato, & mundus ex quo exiisti, similis est vesperiis Sabbati. Si non prapares aliquid in vesperiis Sabbati, quidnam comedes Sabbato? Nonne nosti quod mundus ex quo exiisti est similis terræ, & mundus hic in quo jam es similis mari. Si homo non præparet in terra, quod comedat in mari, quid comedit? Frenduit ille dentibus suis, & comedit carnem suam.*

Ver.

Ver. 24. Καὶ αὐτὸς φωνήσας εἶπε.

Defunctos inter ſe colloquentes, & colloquentes etiam cum vivis, habes in

Beracoth. fol. 18. 2. *Dicit R. Samuel bar Nachmani, dicit R. Jonathan unde aſtruitur quod mortui inter ſe colloquuntur? Ex hoc quod dicitur. Et dixit ei Dominus, hæc eſt terra de qua juravi Abrahamo, Iſaaco & Jacobo* לאמור *dicendo*, Deut. xxxiv. 4. מאי לאמור *Quid ſibi vult* לאמור? *Dicit Sanct. ben. Moſi, Ito & dic Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, Juramentum quod antehac juravi vobis, præſtiti filiis veſtris.* Nota i lud, *Ito & dic Abrahamo*, &c.

Hiſtoria eſt de quodam pio, qui abiit & pernoctavit in cœmiterio, & audivit duas animas inter ſe colloquentes. Dixit una ad alteram. O ſocia veni & circumvagemur in mundo & audiamus poſt velum, qualeſnam plagæ venturæ in mundum. Cui altera, O ſocia ego non peſſum, nam ſepulta ſum in ſtorea cannea, at tu ito, & quicquid audiveris refer mihi, Ivit & circumvagata eſt & retulit, &c.

Anno ſequenti ivit ille iterum & pernoctavit in cœmiterio, & audivit duas iſtas animas inter ſe colloquentes. Dicit una alteri, O ſocia veni & circumvagemur in mundo, & audiamus poſt velum qualeſnam plagæ venturæ in mundum. Cui illa ô ſocia, fine me, nam verba quæ intecceſſerunt antehac inter te & me, audita ſunt inter vivos. Unde autem norunt? Forte vir aliquis alius, mortuus, ivit & dixit iis.

Depoſuit quidam Zuzæos apud hoſpitiſſam donec rediret: atque abiit ad domum Rabb. Cum rediret, illa eſt mortua. Abiit ille poſt eam ad Cœmiterium & dixit ei, Ubi ſunt Zuzai mei? Et illa, Ito & accipe illos, ſub cardine oſtii, loco quodam: Et dic matri, ut mittat mihi de ſtibio meo, & de canna fuci per fœminam N. quæ ventura eſt huc craſtino: Aſt unde norunt talem morituram? רומה קדים ומכריז להו *Dumah* [Angelus qui præficitur mortuis] *prævenit & enarrat iis.*

Apud patrem Samuelis [Rabbini] *depoſiti ſunt Zuzai orphanorum: Obiit ille, Samuele non preſente --- Abiit ille poſt eum ad cœmiterium & dixit iis* [mortuis] בעינא אבא *Quæro Abba.*

Abba. Dicunt ei אבא טובא איכא הכא *Abba bonus hic eſt. Quæro Abba bar Abba. Dicunt ei Abba bar Abba bonus etiam hic eſt. Dicit iis, quæro Abba bar Abba patrem Samuelis ubinam ille? Dicunt illi* סליק למתיבתא דרקועא *Aſcendit ad Academiam firmamenti. Tum vidit* יתיב *Levi* [collegam ejus] *ſedentem ab extra.* [Gloſſ. Apparuerunt mortui ac ſi extra ſepulchra, & ſedentes in circulo, *Levi* autem ſedit extra circulum.] *Dicit ei, Quare ſedes ab extra? quare non aſcendis? Reſpondet ille, Dicunt mihi, Quia defiunt anni iſti quibus non viſti in Academiam Rabbi. --- Cum veniret pater ejus, vidit quod fleret-- Dicit ei quid fles? -- Dicit ei ubinam ſunt Zuzæi orphanorum? Dicit illi, Ito & accipe eos è molendino*, &c. Sed vereor ne lector corruget frontem, ob hanc prolixitatem nugarum.

Καὶ καταξήξη τὴν γλῶσσαν μου.

Hieroſ. Chagigah. fol. 77. 4. Erant vir bonus & malus, qui moriebantur. Bono לא איתנבל ל ה הסר *non celebrata ſunt exequiæ.* At malo ſunt. Poſtea vidit quidam in inſomniis, bonum illum ambulantem in hortis ac juxta fontes amænos. Malum vero לשני שיתת על פי הנהר בעי ממטי ולא מטי *linguâ guttatim ſtillante; ad ripam fluvii, & conante aquam attingere, ſed non attigit.*

Ver. 26. χάσμα μέγα ἐστήρικται.

Sat notum ex Poetis, ut Ἅιδης Græcis, atque *Inferi* Latinis, comprehendant & ſedes beatorum & damnatorum, & generaliter denotent ſtatum mortuorum, ad Gaudia vel pœnas diſpoſitorum, pro qualitate perſonarum. Hic Elyſium bonis, illic Tartarus improbis, interpoſito tantum Cocyto aut Acheronte, aut aliquo tali interterminante chaſmate. A tali opinione non multum diſtant Judæi in

Midras Cohelth, 103. 2. *Deus ſtatuit hoc juxta illud*, Eccles vii. 14. *Id eſt* גהינום וגן ערן *Gehennam & Paradiſum.* כמה ביניהם טפח *Quantum diſtant? Palmo. R. Jochanan dicit* כותל *Paries interponitur. At* Rabbini dicunt שתיהן שוות כדי שיהיו מציעות זו מזו *Æquata ſunt ut ex uno in alterum proſpiciant.*

Quod

Quod ex uno in alterum eſt proſpicere, convenit cum his quæ præ manibus; nec diſſonat quod dicatur quod *ſunt æquata*: id eſt, æqui, plani proſpectus & non interpoſitum quid habent quod impediat, & tamen chaſma tale interjacens, ut impoſſibile ſit hinc illuc migrare. Obſervandum illud, *Apoc.* xiv. 10. Torquebitur igne & ſulphure *in conſpectu Angelorum ſanctorum, atque in conſpectu agni.*

Ver. 29. Ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς Προφήτας.

Sub titulo *Prophetarum* includuntur etiam libri hiſtorici, ſecundum vulgarem receptionem gentis, & lectionem in Synagogis.

Gloſſ. in Bathra. fol. 13. 2. *Omnes libri Prophetarum ſunt octo. Joſua, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Eſaiæ & duodecim:* ut & numerat *Gemara* ibid. fol. 14. 2. ſic eſt Ὀκτάτευχος Προφητικὴ, pro ut eſt ὀκτάτευχος Μωσαϊκὴ apud *Photium* Cod. ccxxx. de qua alibi.

At num excluduntur כתובים *Hagiographa*, cum mentio tantum eſt de lege & Prophetis? Loquitur ſalvator ſecundum uſitatum morem legendi *Moſen* & *Prophetas* in Synagogis: ubi vel quilibet plebeius, etiam illiteratiſſimus, hos habuit, qui nec *Moſen* nec *Prophetas* nec *Hagiographa* habuit domi ſuæ.

Non lecta quidem ſunt כתובים *Hagiographa* in Synagogis [qua ratione non hic diſputamus] at minime tamen rejecta à populo, ſed pro ſcriptis divinis habita, quod præter alia, arguitur ex ipſo nomine. Omittitur ergo mentio eorum hic à Salvatore, non ex aliqua vilificatione, ſed quod *Moſes* & *Prophetæ* Sabbatarim audirentur ab unoquoque, Hagiographa non ita.

Ver. 31. Εἰ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται.

Ut ſalvator infidelitatem Judæorum etiam poſt ipſius reſurrectionem à mortuis innuat, nemo non videt. Unde facile eſt animadvertere, quonam præcipuè reſpiciat intentio hujus parabolæ.

CAP.

CAP. XVII.

Ver. 2. Εἰ μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ.

TALMUDICIS mentio eſt de רחיים של חמור *Mola aſinaria*, & diſtinguitur à *Mola manuaria*, vel truſatili.

Aruch in רתך ex Bava Mezia. *Qui conducit domum à vicino ſuo,* מעמיך בו רחיים של חמור *Erigere poteſt in ea molam Aſinariam.* אבל לא רחיים של יד *At non molam manuariam.*

Habere molam collo appenſam, abiit in Adagium.

Kidduſhin. fol. 29. 2. *Dicit Samuel. Traditio eſt, ut ducat quis uxorem, & poſtea applicet ſe ad diſcendam legem. At R. Jochanan dicit* רחיים בצוארו ויעסוק בתורה *Non molâ collo ejus appensâ, addicet ſe ad ſtudium legis?*

Suidas. Ὅτε καταπόντιζον τινὰς λίθους ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἀπικρεμάζον. *Quum aliquos in mari ſubmergebant, de collo ſuſpendebant lapides.* Citat ille illud *Ariſtophanis*,

Ἄγας μετέωρον εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλῶ
Ἐκ τοῦ λάρυγος ἐκκρεμάσας τράχηλον.

Hunc hominem tollens ſublimem in barathrum injiciam
De collo ſuſpendens ſaxum. Nam iſto ſenſu Suidas ſumit Τράχηλον, reddit enim λίθον. At ingenioſe ſic ejus Interpres.

Suidas Poetæ locum & mentem non videtur aſſequutus. Haud enim τράχηλος, lapidem ſignificat, qui alligari ſolet collo ejus qui ſubmergitur: ſed cum dicendum eſſet λίθον ἐκκρεμάσας [lapidem appendens] ille per jocum, & præter expectationem, riſus movendi cauſa, dicit Ἐκκρεμάσας τράχηλον [Hyperbolum appendens] Hyperbolum enim [hominem litigioſum] propter inſignem improbitatem, omnibus Athenienſibus inſtar graviſſimi ſaxi, quod hominis ſubmergendi collo ſolebat alligari, graviſſimum

mum fuisse vult demonstrare, simul & dignum qui submergatur, ne Rem publicam amplius turbaret & vexaret.

Ver. 3. Ἐπτίμησον αὐτῷ.

Non parci sunt magistri in concedendo iterationes correptionum, at parcissimi circa remissionem delictorum.

Concedunt ex *Levit.* 19. 17. Corripiendum esse centies si sit opus. Imo incumbere discipulo corripere magistrum si sit opus *Bava Mezia.* fol. 31. 1.

At quod ad dimissionem peccanti attinet, abutentes verbis Prophetæ, *Am.* 1. 2. *Pro tribus transgressionibus*: & *Job* 32. 28. *Ecce omnia hæc operatur Deus tribus vicibus.* Docent non teneri quemquam ad remissionem delicti quarti, *Joma.* fol. 86. 2.

Ver. 6. Ὡς κόκκον σινάπεως.

Phrasiologia usitatissima. Profertur aliquando כזרע חרדל *sicut semen sinapis*, aliquando כגרגיר הרדל *Sicut granum sinapis*, aliquando כטיפת חרדל *Sicut gutta sinapis.*

Cum docuerat Dominus de charitate erga delinquentem fratrem, orant discipuli Πρόσθες ἡμῖν πίστιν. Quæ verba [nisi quod injurius nollem esse fidei Apostolorum, ac si augmentum fidei à Domino implorantium] quærerem annon in hunc sensum possent admitti. Appone vel adde aliquid de mensura fidei sicut fecisti, de mensura charitatis. Quod & ille facit.

Ver. 7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν, Παρελθὼν ἀνάπεσαι;

At soliti sunt olim nonnulli sic facere.

Maimon Avadim. cap. 9. *Sapientes antiquiores dederunt servo de omni edulio de quo ipsi comederunt.* Humaniter actum atque ut oportuit. At sequitur ומקדימין הבהמה והעכרים לסעורת עצמן *Et cibarunt jumenta & servos ante seipsos.* Supererogatio.

Ver. 11. Διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.

Si dictum eſſet Διὰ μέσου Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας, foret abſq; ſcrupulo; at cum ſit Διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας, dubium illud excitat de quo diximus ante. An ſcil. per *Galilæam* hoc in loco non intelligenda ſit *Peræa*. Interpretes Syrus & Arabs videntur hunc ſcrupulum obſervaſſe, atque ideo ut medelam aliquam applicarent reddidiſſe Διὰ μέσου per בין *Inter*: quo ſignificatu Ἀνὰ μέσον occurrit frequentiſſimè apud Græcos. Senſus quem illi conpingunt videtur hic eſſe quod Jeſus *Hieroſolymam* itinerans viam carperet in ipſis collimitiis *Galilææ* & *Samariæ*: id eſt quod inter iſtos limites, & quaſi ad marginem utriuſque regionis perrexit per aliquod juſtum ſpatium. Perrexit quidem ad *pontem Scythopolitanum*, per quem tranſiit in *Peræam*. Verum an Διὰ μέσου talem ſenſum admittat, doctiores judicent.

Ver. 12. Δέκα λεπροὶ ἄνδρες.

1. *Solus habitabit leproſus & ſeorſim*, Levit. 13. 46. Unde ergo hi decem verſantes unâ, ut & quatuor iſti, 2 Reg. 7. 3.

Peſachin. fol. 67. 1. שלא יהו טמאין אחרים יושבין עמו. *Alii immundi non habitabunt cum eo.* Id eſt, alii immundi diverſa immunditia: quod & innuitur à Gemariſtis his verbis. *Num profluvioſi & immundi per mortuum emittentur in locum unum? Textus dicit, Et non polluent caſtra ſua, Num.* 5. 3. *Ad aſſignandum caſtrum unum his, & alterum illis.*

Verſari potuerunt leproſi cum leproſis, profluvioſi cum profluvioſis, at non diverſimode immundi, mixtim. Quod illud roborat quod nos concipimus de quinque porticubus ad piſcinam *Bethſdæ*, quod ſcil. ita diſtinctæ atque inſtitutæ fuerint primitus, pro diverſis receptaculis pro diverſimode immundis, purificationem à piſcina ambientibus.

Leproſoria fuiſſe quædam ubi ſecludebantur iſto morbo immundi, ipſa ſuadet ratio, nam inhumanum fuerat, leproſos ejicere è civitate non parato iis aliquo habitaculo, ſed ut verſarentur ſemper ſub dio. An tale quid in hoc loco foret non determinamus: videtur enim quod hi decem audito ſalvatoris adventu, in unum

nuperius

nuperius coaluerant, adventum ejus præstolantes. Nam cum Septuaginta discipuli, in omnibus locis ad quæ ille erat perventurus, eum illuc venturum palam nuntiaverant, facile est concipere quanto concursu illuc confluerent ægri & morbis variis correpti, ut sanarentur.

II. *Pesachin* ubi supra: מצורע שנכנס לפנים מכחיצתו בארעים *Leprosus qui transgreditur cancellos*, vel limites *suos vapulet plagis quadraginta. Profluviosi & profluviosæ si transgrediuntur cancellos suos vapulent etiam plagis quadraginta.*

Ubi Gloss. *Cancelli profluviosorum sunt Mons domus, vel Atrium gentium. Nam prohibetur iis intrare in castrum Levitarum. Immundi enim non excluduntur nisi ex atrio: exceptis solum profluvioso & Gonorrhæo, qui excluduntur etiam ex monte domus: & leproso qui excluditur ex castris Israelis, id est ex urbe.*

Jam vero *castra Israelis* unde ejiciendus leprosus, interpretantur de quavis urbe cincta muris à diebus Josuæ. *Nam sanctificavit Josua*, inquiunt, *civitates mœnibus cinctas, sanctitate castrorum Israelis, at non sic reliquam terram, nec urbes non cinctas muris.*

Villa erat & non urbs talis, illa ubi occurrunt hi decem salvatori, & si illi intra ipsam villam essent, nec præter morem, nec præter normam erat, proviso quod distantiam suam observarent.

Negaim. cap. 13. hal. 12. *Ingreditur leprosus in Synagogam: Faciunt ei* מחיצות *Cancellos altos decem palmos, & latos quatuor cubitos. Ingreditur primus atque egreditur ultimus.* Gloss. *Ne immundificentur illi qui stant in Synagoga*, &c.

Ver. 20. Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως.

Regnum Dei vel *cœlorum* duplici præsertim & distincto sensu occurrit in sacris paginis. Pro propagatione scil. Evangelii per *Messiam*, & suos, & præcipue inter Gentes & pro victoria & vindicta ejus in Judæos, hostes ejus & Evangelii. In Scholis autem Judaicis hic de eo conceptus, Quod *Messias* adveniens exciturus esset omnes gentes quotquot legi suæ, id est, Judaicæ non

obſequerentur, liberaturus *Iſraelem* à jugo Ethnico, inſtituturus inter eos regnum & tempora deliciis omnibus affluentia, &c. In hoc miſerè decepti, quod Gentiles primum ab eo deſtruendos crederent, & dein ipſum inter *Iſraelitas* regnaturum: cum revera & vice verſa, erat ille primum deſtructurus *Iſraelem*, & exinde regnaturus inter Gentes.

Facile eſt concipere quonam ſenſu Phariſæi quæſtionem propoſuerint, *Quandonam venturum eſt Regnum Dei?* Id eſt, Quandonam complebuntur ſplendida iſta quæ expectamus à *Meſſia*? Et quo ſenſu reſpondeat ſalvator, facile etiam eſt concipere ex textura ſuæ orationis: Quæritis quando adveniet *Meſſias*: Adventus *Meſſiæ* erit ſicut erat in diebus *Noachi*, ſicut erat in diebus *Lothi*. Nam ſicut ingrediente Noacho in arcam periit mundus diluvio, & ſicut egrediente *Lotho* è Sodoma periit Pentapolis, *Ita erit in die filius hominis quo revelabitur*. Ut planum ſit eum de regno Dei loqui ut ſignificante vindictam ſuam in urbem gentemq; iſtam nequiſſimam Judæorum. Regnum Dei veniet *cum Hieroſolyma fiet ut Sodoma*, ver. 29. *cum fiet cadaver*, ver. 37.

Cuivis oculo eſt conſpicuum ut exciſio iſtius urbis & gentis emphatice vocetur *Regnum ejus*, & *Adventus ejus in gloria*. Nec immerito.

Namante vaſtationem urbis & ſubverſionem gentis, ſubjugaverat ille omnes nationes ſub imperio & obedientia Evangelii, ſecundum illud, *Matth.* 24. 14. *Evangelium hoc regni prædicabitur per totam orbem & tum advenit finis* Hieroſolymæ. Et cum jam regnum ille adeptus eſſet inter Gentiles, quid jam reliqui, ad conſummationem regni ſui & victoriarum, niſi ut excidat Judæos inimicos ſuos qui noluerunt eum in ipſos regnare?

De hac Βασιλεία τῦ Θεῦ loquitur ille hoc in loco, & non tam ſecundum animum vafrum Phariſæorum in quæſtione propoſita reſponder, quam ſecundum rem ipſam & veritatem. Et duo de hoc regno ſuo dicit.

1. Quod non venit μὲ παρατηρήσεως· Non quod obſervari non potuerit, ſed quod nollent illi obſervare. Quam eorum ſecuritatem, & ſupinam oſcitantiam prædicit ille taxatque alibi ſemel iterumque.

2. Quod Βασιλεία τῦ Θεῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. Vos eſtis ſcena

ha.

harum victoriarum Chriſti. Et cum in expectatione veſtra ſit, ut dicatis, Ecce hic indicium *Meſſiæ* in gente iſta debellata, ecce illic in alia: fruſtra expectabitur, nam ἐντὸς ὑμῶν ἐστι, intra gentem veſtram, & in gentem veſtram hæc ſunt agenda. Ego emphaſin in voce ὑμῶν ſtatuerim, cum vulgo ἐντὸς reſpiciatur.

Salvatorem autem de Βασιλεία τοῦ Θεοῦ eo ſenſu quo nos ſupponimus loqui firmant ea quæ ſequuntur, ver. 22. *unam dierum filii hominis non videbitis*; dicta diſcipulis: ἡμέραι τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, Judaico ſtilo ſunt ימות המשיח in quibus nihil niſi placentia, proſpera & vernantia ſibi pollicentur. Atque ſub iſta notione Phariſæos quæſtionem ſuam propoſuiſſe parum dubitandum. At ſalvator ad veritatem & propoſitum ſuum ita applicat terminos quæſtionis, ut vindictam ſonent iram & afflictionem. Et tantum abſit ut placentia ſua videant Judæi, ut non niſi afflictionem viſuri ſint ipſi diſcipuli: quamvis ſub alia notione.

CAP.

CAP. XVIII.

Ver. 1. Καὶ μὴ ἐκκακεῖν.

CONTINUATUR & connectitur hæc Parabola cum præcedentibus, cap. 17. de adventu Chriſti in vindicta ſua adverſus *Hieroſolymam*: Quod obſervatum confert aliquantum ad faciliorem intellectum obſcuriorum quorundam quæ occurrunt in applicatione parabolæ. Eo reſpicere videtur vox ἐκκακεῖν, ne ſcilicet ob afflictiones tunc orituras, animo deficiant, ſed aſſiduis precibus ſe dedant.

Ver. 2. κρίτης τις ἦν, &c.

Si ſupponenda eſſet ſcena Parabolicæ hujus hiſtoriæ eſſe inter Judæos, nonnullæ inde orirentur quæſtiones. 1. An judex hic fuerit diſtinctus à זקן *Seniore* vel *Presbytero*. Nam ad talem diſtinctionem adiguntur magiſtri ex verbis iſtis זקניך ושופטיך *Deut.* 21. 2. *Hieroſ. Sotah.* fol. 23. 3. 2. Si שופט aut שרין *Judex* idem ſit cum זקן *Seniore* quod & approbant *Bab. Sotah.* fol. 44. 2. tum, An licuerit uni ſeniori judicare, quod improbant, *Sanhedr.* cap. 1. Sed hæc miſſa ſunto.

Parabola quæ proponitur, eſt de claſſe iſtarum quæ vulgatiſſime apud Judæos audiunt קל וחומר, & quæ communiter deſinunt in על אחת כמה וכמה quando ſcil. arguitur à minori ad majus. Si Judex iſte bipedum nequiſſimus indeſinenti viduæ importunitate victus cauſam ejus egit, nonne Deus juſtus miſericors, optimus, pro ſuis aſſiduè eum ſollicitantibus עאכן multo magis?

Τὸν Θεὸν μὴ φοβάμενος, &c.

Quantum diſtat hic homuncio à charactere recti judicis!

Maimon. Sanhedr. cap. 1. *Etiamſi in conſeſſu triumvirali*

non

non requirantur omnia quæ requiſita ſunt in Synedrio, neceſſe tamen eſt ut ſint in unoquoque in iſto conſeſſu hæc ſeptem. Prudentia, manſuetudo, pietas, odium Mammonæ, amor veritatis, atque ut ſint dilecti ab hominibus, & bonæ famæ.

Ver. 5. Εἰς τέλος ἐρχομένη.

In perpetuum veniens. Sic לנצח Græc. interpretibus. *Job* 14. 20. תתקפהו לנצח *Prævalebis ei in perpetuum*, Græc. Ὥσας αὐτὸν εἰς τέλος. Sic *Job* cap. 20. 7. *Pſal.* 44. 24. & 49. 10, &c. Hinc למנצח in titulis Pſalmorum redditur εἰς τὸ τέλος. Quod an recte vertatur *in finem*, quære.

Ver. 7. Καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς.

Sic 2 Pet. 3. 9. Μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς. Utrobique eſt ſermo de temporibus excidium Hieroſolymitanum antecedentibus: In quibus plurima patientia erga electos ſuos uſus eſt Dominus. Nam in lubrico iſto rerum ſtatu, cum graſſaretur ſupra modum Apoſtaſia, & difficulter valediceretur Judaiſmo, non ſine difficultate, lucrifacti ſunt illi ad fidem, nec ſine difficultate retenti in fide cum lucrifacti. Ita ut cum omnem iſtam patientiam & μακροθυμίαν exercuerit Dominus, δρήσει πίστιν ὅτι ἦς γῆς;

Ver. 12. Νηστεύω δὶς τοῦ Σαββάτου.

I. Erant תענית הציבור *Jejunia Congregationis*, & תענית היחיד *Jejunia hominis ſingularis*. Atque utraque præcipuè propter צרות *Afflictiones*.

Maimon. Taanith. cap. 2. *Iſtæ ſunt afflictiones Congregationis propter quas jejunant. Obſidio per hoſtes, gladius, peſtis, beſtia noxia, locuſtæ, bruchus, rubigo ſegetum, uredo, abortiones, morbi, annonæ caritas, impluvium.*

Idem ibid. cap. 1. *Sicut Congregatio jejunat propter afflictiones ſuas ſic etiam homo ſingularis propter ſuas. Si nempe ſit quiſpiam de ſuis qui ægrotat, aut eſt errabundus in eremo, aut vinctus in carcere, tenetur ad jejunandum pro eo*, &c.

II. *Ibid. Jejunia quæ indicuntur pro Congregatione propter afflictiones*

flictiones ſuas, non ſunt de die in diem, nam plurimi de Congregatione non poſſunt in tali jejunio perſiſtere, ſed בשיני ובחמישי *Die hebdomadis ſecundo & quinto.*

Iſtis diebus conventum eſt in Synagogis ad preces publicas: Atque huc ego retulerim illud, Act. 13. 2. Λειτουργούντων αὐτῶ κ νηςευόντων. potius quàm ad celebrationem Miſſæ, quò verba torquentur à quibuſdam.

III. Frequentiſſimum etiam erat יחיד *Homini ſingulari*, devovere ſe ſtatis & frequentiſſimis jejuniis ex religione, etiam ubi non adeſſet aliqua afflictio. Atque elegerunt ſibi tales, eoſdem jejuniorum dies, quos & congregatio, *ſecundum* hebdomadæ ſcil. *& quintum.*

Taanith. fol. 12. 1. יחיד שקיבל עליו שני וחמישי ושני של כל שנה *Homo ſingularis qui ſuſcipit in ſe jejunia die ſecundo & quinto & ſecundo per totum annum*, &c.

Hoc ſolum de iſtis jejuniis adjiciamus. *R. chaſda dicit, jejunium ſuper quod ſol non occidit, non dicendum eſt jejunium.* At cautè ſatis proviſum eſt ne inedia perirent, nam permiſſum eſt tota nocte jejunium antecedente, edere & bibere.

Hieroſ. Taanith. fol. 64. 3. *Traditio. Dicit Rabbi, Edere licet uſque dum luceſcat oriens.*

Ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι.

Imitatur Phariſæus aliquantum in hac profeſſione, profeſſionem offerentis primitias, *Deut.* 26. 13. *Abſtuli quod ſanctificatum eſt de domo mea, & dedi illud Levitæ, atque advenæ, pupillo & viduæ.* At dicas velim Phariſæe an ex honeſtate & pura juſtitia tam accurate omnia decimas, ut ſcil. Sacerdoti & Levitæ & pauperi ſit quod ſuum eſt, an non potius ex terrore & formidine, quia האוכל טבל בטיהרה *Qui comedit non decimata reus eſt mortis, Sanhedr.* fol. 83. 1.

Ver. 13. Καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς, &c.

I. Quod Iſraelitæ, cum irent in templum ut preces ſuas privatas funderent, perrexerunt ultra Atrium exterius, vel Gentium, in *Atrium mulierum*, præter alia, hoc fidem facit, quod in iſto atrio

atrio disposítæ sunt שופרות *Tredecim cistæ eleemosynariæ*, in quas conjecerunt spontaneas suas oblationes. Quod factum est à vidua paupercula cum duobus suis minutis, isto in loco.

II. Quæri merito potest an aliquis privatæ suæ orationis ergô, pergeret vel in *Portam Nicanoris*, vel in *Atrium Israelis*: multo minus in *Atrium Sacerdotum*, Si non ipsi sacerdotes. De salvatore leginus quod fuerit in atrio Gentium in *porticu* scil. *Solomonis*, & quod in *Gazophylacio*, vel *atrio mulierum*, at vix ostenderis ubi in *Atrio Israelis*. Et negativum circa ingressum in istud atrium astruitur, si obtineret illud quod dicitur.

Hieros. Beracoth. fol. 8. 4. *R. Josua ben Levi dicit, Qui stat orans necesse habet ut prius sedent, ex eo quod dicitur* אשרי ישבי ביתך *Beati sunt qui sedent in domo tua.* In isto autem atrio nemini sedere licitum nisi regi soli.

III. Quod ergo Publicanus noster, in oratione sua inferius remotiusque steterit quam Pharisæus, ex humilitate sua erat, ut probabile, potius quam ex necessitate. Nam quamvis æquis passibus incedant Ethnicus & Publicanus, in verbis istis salvatoris, *Esto tibi sicut Ethnicus vel Publicanus*: quæri tamen potest an Publicani, si modo Judæi, ad atrium exterius solum, limitarentur, æque ac Ethnici.

Οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι.

Et quare hoc additur cum norma orandi hæc foret?

Maimon. in Tephillah, cap. 5. *Orans velet caput suum & spectet deorsum.*

Idem. *Peah.* cap. 5. *Discipulus sapientum* מכוסה למטה *spectet deorsum cum stat orans.*

At num ita laicus quis, aut unus de vulgo? Si non, responsum est quæstioni nostræ: quod hic præter morem vulgi, ex humilitate & conscientia vilitatis suæ, nollet oculos suos attollere. Si vero hoc usitatum ab omnibus, ut in oratione spectarent deorsum, antea tamen & dum se componerent ad orationem nulla ratio suadere potest, quin quod oculos aliquantum erigerent in cœlum. *Si orant in templo faciem vertunt versus Sanctum Sanctorum, si alibi, versus Hierosolymam.* Maim. ubi ante: & mirum foret si oculos non omnino versus cœlum: at cum incæptum est orare, tum oculi deorsum.

Ver. 15. ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς.

Sanhedr. fol. 110. 2. *Parvuli improborum Israelis non pervenient in mundum futurum.--- Parvuli improborum Ethnicorum, omnes fatentur quod non pervenient in mundum futurum.--- קטון מאימתי נא לעולם הבא A quonam tempore est parvulus capax mundi futuri? R. Chaija & R. Simeon bar Rabbi. Unus dicit משעה שנולד Ex eo tempore quo natus est. Alter dicit משעה שיפה Ab eo tempore quo potest fari.--- Rabbena dicit משעה שנזרע Ab eo tempore quo generatur--- Rabh. Nachman bar Isaac dicit משעה שנימול Ab eo tempore quo circumciditur. R. Meir. dicit משעה שיאמר אמן Ab eo tempore quo respondere potest, Amen.*

Exagitata fuerit hæc quæstio in scholis sub temporibus Apostolorum necne, maxime probabile est eos ob hoc præcipue ægre tulisse præsentationem parvulorum ad Christum, quod ipsis judicibus, non capaces essent regni cœlorum. Atque huic opinioni nostræ videtur suffragari responsum salvatoris. Itane, num vos judicatis eos incapaces esse regni cœlorum: Ego dico vobis, quod regnum cœlorum non est nisi talium.

Ver. 19. Τί με λέγεις ἀγαθόν; &c.

I. Pro eruendo vero sensu atque animo salvatoris in hisce verbis, & proxime sequentibus, dixerim ego, & quis contrarium evicerit.

Quod hic homo agnoverit Jesum pro Messia.

1. Idem agnoverunt & alii, non facti adhuc ejus discipuli. Ut cæci illi qui vocant eum *filium Davidis*, Matth. 20. 30. ut alios omittamus. Et quænam ratio negativum suaserit de hoc homine. Præsertimque cum eum non ordinariæ sed rarioris indolis fuisse, arguant non solum hæc que de seipso fatur, sed & quod salvator eum tanta humanitate & comitate exceperit.

2. Non vulgaris est ejus quæstio, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Nam plane videtur, quod non satisfactum est ei à doctrina scholarum de meritis operum, & justificatione per legem: sed aliud quid ad obtinendam salutem requiri arbitratur, cum post

poſt præſtitam ut aſſerit à ſe legem, tamen & adhuc quærit *Quid faciam*, &c. Quod ab eo ſerio atque ex animo factum atteſtatur ſatis Chriſti erga illum geſtus, *Marc.* 10. 21. ut & quod ad Jeſum veluti non vulgarem doctorem hujus rei addiſcendæ ergo ſe conferret.

3. Inuſitatum erat, magiſtros gentis tali titulo ſalutare. Quamvis enim ſplendidis epithetis eos ornarent, & quidem onerarent, vel defunctos vel abſentes, præſentes tamen alloquentes, non niſi *Rabbi*, aut *Mar*, aut *Mari* impertierunt. Evoluto utroque Talmude, fallor, ſi comperis titulum *Rabbi bone*, aut *Mar bone*.

II. Tantum ergo abeſt Chriſtus in his verbis à negando ſuam Deitatem, ut hunc hominem alliciat potius ad agnoſcendum ſuam Deitatem. Videris ex aggreſſu tuo & compellatione agnoſcere me pro Meſſia, num agnoſcis me Deum etiam, æque ac hominem, cum vocas me *bonum*, & non ſit quis bonus niſi Deus? Aliquid certe non ordinarium vidit in hoc homine ſalvator cum ἠγάπησεν αὐτὸν ut *Marc.* 10. 21. i. e. blande affatus & hortatus eſt eum, &c. ut 2 Paralip. 18. 2. Pſal. 78. 36. ἠγάπησαν αὐτὸν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν. Hebr. וַיְפַתּוּהוּ.

Et non ordinario affectu juvenem [nam ſic eum vocat *Matthæus*] reſpexiſſe *Jeſum*, indicii aliquid eſt, quod *mœſtus* diſceſſerit ab ejus conſilio. Conſulentem certe magni æſtimavit, cum non ſine magno dolore non potuit conſilium ejus renuere.

Ver. 31. Παραλαβὼν ὁ τοὺς δώδεκα.

Hæc coincidunt cum iſtis, *Johan.* 11. 7. *Dixit diſcipulis ſuis eamus in Judæam.* Itane, inquiunt illi, in Judæam iterum, ubi nuperrime tantum tibi periculi? Prodit tamen ille & pergit, & ſequuntur diſcipuli obſtupeſcentes, & timentes, *Marc.* 10. 32. Mentio adhuc de profectione in Judæam tantum, ad viſendum *Lazarum*, at pergentibus porro, prænuntiat iter ſuum ad *Hieroſolymam*, & quid de eo illic agendum. *Bethabara*, ut videtur, erat ille cum ad eum perveniret nuntius de ægritudine *Lazari*: atque inde cum per pontem *Scythopolitanum* pateret ei via commodiſſima, & ſic per partem aliquam *Samaritidis*, eligit ille ſibi viam Transjordaninam ad vada *Hierichuntina*.

CAP. XIX.

Ver. 2. Ζακχαῖος.

ERAT eodem nomine *Zaccai*, pater numerosæ familiæ, *Ezr.* 2 9. & circa hæc ipsa tempora quibus vixit *Zacchæus* noster, *Zaccai*, pater *Rabban Jochananis*, quo vix celebrior quisquam in toto catalogo Rabbinorum.

Is filium suum *Jochananem* educavit בפרקמטיא *in mercatura*, in qua versatus est ille annis quadraginta, antequam se dederet literis & religioni: unde suspicio aliqua oriri posset, quod iste *Zaccai* erat hic noster *Zacchæus*, nisi quod hæc talem conjecturam penitùs contundant.

I. Quod fuerit Rabbinus, vel promotus ad Presbyteratum, ut non sine ratione autumat Author *Juchasin* in voce בן זכאי. Cum autem tam male audirent *Publicani* universaliter in gente, vix credibile est Publicanatum consistere potuisse cum Rabbinatu. Cui & hoc addere licet, quod iste *Zaccai* foret de stirpe sacerdotali, & qualenam brutum erat Sacerdos Publicanus!

II. Ex charactere istius *Zaccai*, judica an ille non vixerit, obieritque Judaizans, quoad omnia.

Megillah. fol. 27. 2. *Interrogarunt R. Zaccai discipuli ejus* [nota eum insignitum titulo *Rabbi.*] *Quomodo ad hoc senectutis pervenisti? Respondit ille, In tota vita mea ego nunquam minxi intra quatuor cubitos à loco orationis. Nunquam finxi nomen vicino meo. Nunquam omisi* קירוש יום *Sacrationem diei. Erat mihi mater vetula, quæ semel vendidit vittas capitis sui, & coemit inde vinum, quo sacrarem diem. Traditio. Cum illa moreretur, legavit ei trecenta dolia vini: & cum moreretur ille, legavit ter mille dolia filiis suis*, Gloss. Ille qui constans est in sacratione diei, ex merito obtinet vinum.

Apud-

Ἀρχιτελώνης.

De ordinibus Publicanorum, hæc pauca.

I. *Publicanos appellarunt majores*, inquit Lexicographus, *eos qui vectigalia & alios populi Romani reditus exigendos, certo constituto pretio redimebant: qui Daciarii vulgo vocantur.*

II. *Sanhedr.* fol. 25. 2. *Hi non idonei sunt ad perhibendum testimonium* רועין והנבאין וגובסין *Pastores, exactores & Publicani.* In quæ verba sic R. Gaon. *Rabbini non excludunt Publicanos, ideo quod exigunt plus quam quod iis statutum, nam si sic fecerint iidem, cum* נבאין *Exactoribus. Sed cum Rex imponit tributum exigendum à Judæis, ab unoquoque secundum opes suas, hi Publicani quorum est æstimare unius cujusque opes, non ullis favent & censum eorum mitigant, alios vero onerant, plusquam æquum.*

III. Erant Publicani [ut eos omittamus qui oppidatim tributa collegerunt] in portubus & pontibus, vectigal exigentes à prætereuntibus: De quibus agitur in *Schabb.* fol. 78. Ubi & mentio de מוכס גדול וזעיר קטן *Publicano majori & minori.* De quibus sic Gloss. *Aliquando est Publicanus major, cui grave nimis est stare in ponte toto die, substituit ergo sibi Publicanum inferiorem* vel minorem. Nec tædeat hanc audire historiam ex eodem tractatu.

Schabb. fol. 33. 2. *R. Judah. R. Jose. R. Simeon & R. Judah ben Garis considentibus, Exorsus R. Judah sic dixit, ô quam pulchra sunt opera hujus gentis* [Romanæ] *struxerunt plateas, struxerunt pontes, struxerunt balneas. R. Jose siluit & respondet nihil: At R. Simeon ben Jochai respondit & dixit quicquid struxerunt, struxerunt in propr um commodum --- struxerunt pontes ut inde recipiunt vectigal. Profectus R. Judah ben Garis hæc dixit imperio Romano; quod ita decrevit. Judah qui magnificavit imperium exaltetur. Jose qui siluit* יבלה לציפורי [suspicor reddendum] *religetur in Cyprum, & Simeon qui convitiatus est, occidatur.* Audiens hæc *Simeon*, in speluncam quandam se recepit, ubi cum filio delituit 13 annos.

Jam cujus ordinis inter hos Publicanos fuerit *Zacchæus* noster nec facile est determinare, nec quidem tanti. Vix patietur titu-

lus

lus Ἀρχιτελώνης, ut numeretur inter Publicanos de pontibus, quamvis inter eos fuerint illi qui vocabantur *Publicani majores*: ſed potius æſtimetur, vel in prima claſſe earum quos nominavimus, vel ſecunda. In alterutra eorum, promptius erat συκοφαντεῖν [quod de ſeipſo hic noſter fatetur] quam in ponte.

Ver. 8. Τὰ ἡμίσια τῶν ὑπαρχόντων μου δίδωμι τοῖς πτωχοῖς.

I. De injuſtè partis debebatur inter pauperes diſtributio.

*Sanhedr.*fol.25 2. Agitur de reſtitutione vel diſtributione opum malè partarum, ſpeciatim per mercaturam fructuum anni ſeptimi, quæ non licita: & hæc forma reſtitutionis. *Ego N. filius N. corraſi ducentos zuzæos per fructus anni ſeptimi, & ecce dono dantur pauperibus.*

II. Ex benè partis exhibenda erat pauperibus eleemoſyna: verum ſecundum Canones & præcepta magiſtrorum, non ex debito ultra quintam partem.

Rambam in Peah. cap. 1. *Quoad præbendum auxilium per Mammonam, eſt ſtata menſura* וחיא המישית ממונו *nempe pars quinta Mammonæ ſuæ: nec tenetur quiſpiam plus dare, quam partem quintam*: Et dicunt *quod ſtatutum eſt in Uſha, ut homo ſeparet* חומש נכסיו למצוה *quintam partem facultatum ſuarum ad præceptum.*

Quinta hæc ita ſtata & ſtatuta erat, ut, 1. Eouſque procedendum eſſet ex præcepto. 2. Ulterius procedere nemo obligatus ex lege. 3. Aſt ulterius ſi velit ſua ſponte: Quod facit hic noſter larga & nobili menſura.

Reſtitutio quadrupli pro συκοφαντία ſua convenit cum lege de furto.

Ver. 9. Ὅτι σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο.

Dicitur ver. 7. *Quod obmurmurabant quidam quod ingreſſus eſſet Jeſus ut hoſpitaretur cum peccatore.* Et quidnam tandem judicarunt illi de ipſa domo peccatoris? An in eam ingreſſos eos putas, cum omnia ſpernerent Publicanorum? Forte iſta Στὰς ὁ Ζακχαῖος εἶπε, innuunt quod prodiit & proſtitit eos alloquens qui

qui ſteterunt foras & noluerunt intrare. Utcunque, perpenſo bene quam ſordide æſtimarent domum Publicani, clarius intelligas hæc verba, *Hodie ſalus domui huic facta eſt.*

Καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν.

Id eſt, inquiunt omnes, *Filius Abrahami per fidem*, quod quidem veriſſimum: at hæret mihi ſcrupulus nihilominus, an iſte animus horum verborum. Nam, quæro an norint Judæi relationem aliquam ad Abrahamum, niſi ſecundum carnem & ſtirpem. *Filius Abrahami per fidem*, erat notio ignota, & vix credo ſalvatorem eos alloqui velle dialecto ignota. Quibus adde, quod ſi dictum fuiſſet, Αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐγγύεπ [ut ἐγγύεπ eſt in clauſula priori] promptius eſſet inclinare in iſtum ſenſum, & ad converſionem ejus applicare, per quam factus eſt filius Abrahami per fidem: argueret enim mutatam jam eſſe ejus relationem ad Abrahamum, atque aliam ab ea quam habuit antea, ut ἐγγύεπ in clauſula priori arguit mutatam conditionem domus: At cum dicatur Υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν, ego non alio ſenſu ſumſerim quam illud, cap. 13. 15. *Hæc filia Abrahami*, nempe ſecundum literam. Quamvis vos obmurmuretis, atque hunc Archipublicanum, contemptui, odio, execrationi habeatis, eſt tamen ille de ſemine Abrahami æque ac vos ipſi. Non eſt Publicanus ethnicus ſed Iſraelita: Et cum filius hominis venerit ut quærat & ſervet quod perditum, præſertimque oves perditas Iſraelis, ſalus ejus hodie venit ad hanc domum, nam & hic eſt etiam *Abrahamita.*

Ver. 11. Καὶ δοκεῖν αὐτὸς ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι.

Midras Schir. fol. 7. 2. הגיע זמנה של מלכות שמים שתגלה *Appropinquat tempus ut regnum cœlorum reveletur.*

Obſervavimus alibi ut fuerit opinio gentis, hoc ipſum tempus quo apparuit *Chriſtus* fuiſſe tempus expectatum adventus *Meſſiæ*, ſic doctæ per prophetiam *Danielis.* Quam utcunque Judæi nuperiores eludere conentur, ut & alias omnes clariſſimas de Jeſu noſtro prædictiones, tempora tamen iſta ſanius, ſinceriuſque ſunt interpretata. Hinc confluxus iſte Judæorum ad Hieroſolymam ab omnibus nationibus, Act. 2. 5. Atque tali rei atteſtatur ali-

aliquantum illud Talmudicorum referentium de Targumiſta Prophetarum, quod cum Targumizare etiam aggrederetur libros Hagiographos, prohibitus ſit per Bath kol, dicentem, quod abſtinendum, nam in illis libris eſt finis Meſſiæ; viz. *Dan.* 9. 25.

Ver. 13. Ἔδωκαν αὐτοῖς δέκα μνᾶς.

Eodem ſpectat quoad generalem ſcopum parabola hæc de minis cum iſta de talentis, Matth. 25. Nobilis ille vel rex qui in terram longinquam proficiſcitur, ut capeſſet ſibi regnum, eſt Chriſtus in Evangelio prog ediens ad vocandas gentes ad obedientiam. Rediens excidit gentem Judæorum qui noluerunt eum in ſe regnare, ver. 27. Et cum jam expectarent regnum cœlorum cito manifeſtandum, & vafra plurima & inania de eo ſomniarent, docet ille per hanc parabolam, nihil beneficii per iſtud regnum ei expectandum, qui non reddiderit rationem bonam talentorum à Deo ei commiſſorum.

Suidas. Τάλαντον μνᾶν ἑξήκοντα. *Talentum valet 60 minas.*
ἡ δὲ μνᾶ δραχμὰς ρ'. *Mina vero drachmas centum.*
ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολοὺς ς'. *Drachma ſex obolos.*
ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκοῦς ἕξ. *Obolus ſex æreos.*
ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτὰ ζ'. *Æreus ſeptem minuta.*

Ver. 44. Ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.

Diſcutiunt Magiſtri cauſam vaſtationis Hieroſolymæ, in *Schabb.* fol. 119. 2. *Abai dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma niſi propter profanationem Sabbati.--- R. Abba dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma niſi quod neglexerint recitationem Phylacteriorum mane & veſpere.--- Rabh. Menona dicit, non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quod neglexerint educationem puerorum in ſchola. --- Ulla dicit, non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quod non foret verecundia hujus erga illum. --- R. Iſaac dicit, non vaſtata eſt Hieroſolyma niſi quod æquarent inferiorem digniori.--- R. Chaninah dicit, Non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quod ſe mutuo non reprehenderent.--- R. Judah dicit, non vaſtata eſt Hieroſolyma, niſi quod deſpexerint diſcipulos ſapientum*, &c.

At

At dicit ſapientia, vaſtata eſt Hieroſolyma, *quia non novit tempus viſitationis ſuæ.*

Grandiſſima illa beneficia quæ promiſſa ſunt humano generi, promiſſa ſunt ut eventura, *In noviſſimis diebus*, id eſt, in ultimis diebus *Hieroſolymæ.* Tunc manifeſtandus *Meſſias*, Hoſ. 3. 5. Habr. 1. 2. Tum effundendus ſpiritus ſanctus, Joel 2. 28. Act. 2. 17. Tunc exaltandus mons Domini & confluentia Gentium, Eſai. 2. 2. verbo omnia, Tunc adimpleta ſunt grandia illa, quæ prædixerant Prophetæ de Adventu *Meſſiæ* atque introductione Evangelii. Erant hæc tempora, tempora viſitationis tuæ ô Hieroſolyma, ſi noſſes modo tempora viſitationis tuæ.

A qua cognitione & notitia tantum illa aberat, ut nihil ei odioſius, & contemptibilius, quam cum revera in ea præſtarentur ineffabilia illa beneficia. Nec nobilioribus characteribus depicta ſunt tempora iſta, quoad præſtationem Dei, quam atris & tremendis, quoad perverſitatem populi. Optima omnium tempora, ſed peſſima omnium generatio. In ultimis temporibus iſtius urbis *Dies periculoſi*, 2 Tim. 3. 1. *Apoſtaſia à fide*, 1 Tim. 4. 1. *Deriſores religionis*, 2 Pet. 3. 2. & verbo omnia *Multi Antichriſti*, 1 Johan. 2. 18. Tantum abfuit *Hieroſolyma* & gens Judaica, à noſcendo atque agnoſcendo ea quæ conduxerunt in pacem ſuam.

CAP. XX.

Ver. 1. Οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Γραμματεῖς σὺν τοῖς Πρεσβυτέροις

SIC, *Marc.* 11. 27. cum apud *Matthæum* sit, Ἀρχιερεῖς καὶ Πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, Matth. 21. 23. Jam quæritur, quinam hi Presbyteri, ut distincti à Primariis sacerdotum, & Scribis.

Constitit Synedrium ut plurimum ex Sacerdotibus, Levitis & Israelitis, quamvis originale præceptum fuerit pro Sacerdotibus & Levitis tantum.

Maimon. in Sanhedr. cap. 2. *Præceptum est ut sint de Synedrio magno, Sacerdotes & Levitæ, sicut dicitur, Ibis ad Sacerdotes & Levitas*: ואם לא מצאו: *Quod si tales non inveniantur* אפילו היו כולם ישראל הרי זה מותר *etiamsi omnes sint Israelitæ, ecce est permissum.* Nemo concipiet fuisse unquam Synedrium in quo fuerunt Israelitæ tantum, & nulli Sacerdotes & Levitæ, & vix concipias fuisse unquam Synedrium, in quo fuerunt tantum Sacerdotes & Levitæ & nulli Israelitæ. Γραμματεῖς ergo hoc in loco videtur vel Levitas denotare, vel cum Levitis Sacerdotes inferioris ordinis, & qui non essent Ἀρχιερεῖς· & tum Πρεσβύτεροι sint Israelitæ vel Seniores Laici, qui fuerunt de alia tribu & non Levitica. Talis erat *Rabban Gamaliel* præsens Præses Synedrii, & *Simeon* filius ejus, de tribu *Judæ*.

Ver. 37. Λέγει κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραάμ, &c.

Shemoth. rabba. fol. 159. 1. *Quare dicit Moses, Recordare Abraham, Isaac, & Jacob?* Exod. 32. 13. *Dicit R. Abin, Dicit Dominus Mosi: Ego requiro à te decem homines sicut requisivi à Sodoma. Præbe mihi decem Justos in populo, atque ego populum non perdam. Tum Moses, Ecce ego & Aaron, & Eliazar & Ithamar & Phinehas & Caleb & Josua. At Deus, hi sunt tantum se-*

ſeptem, ubinam tres alii? Cum neſciret Moſes quid ageret, dixit O Domine æterne חיים הם המתים *Num vivunt illi qui mortui ſunt? Dicit Deus, Imo. Tum Moſes ſi mortui vivunt, tum recordare Abrahamum, Iſaacum & Jacobum.*

Ver. 42. Εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, &c.

Cum dicat *Matthæus*, cap. 22. 46. *Quod nemo potuit ei reſpondere quicquam* ad hoc argumentum quo aſtruere conatur Deitatem *Meſſiæ*, planum eſt, non adhuc adinventas fuiſſe evaſiones iſtas, quibus Judæi poſtea conati ſunt locum iſtum eludere. Nam,

Talmudici ad *Abrahamum* Pſalmum applicant, Targumiſta, quantum videtur, ad *Davidem*, alii, teſte Juſtino martyre, ad *Ezechiam*, quod non memini me apud ſcriptores Judaicos obſervaſſe. Verba ejus hæc in

Dialog. cum Tryphone, pag. 250, Καὶ τοῦτον τὸν ψαλμὸν [cum totum Pſalmum recitaſſet] ὁπόσοι τὸν Ἐζεχίαν τὸν βασιλέα εἰρῆσθαι ἐξηγεῖσθαι πλημμελῶς ἐκ ἀγνοῶ. *Quod hunc Pſalmum audeatis explicare, ac ſi dictum de Ezechia rege, ego non ignoro.*

Illi autem ſic, in

Sanhedr. fol. 108. 2. *Dixit Sem magnus Eliezaro* [ſervo Abrahami] *cum venirent in vos reges Orientes atque Occidentis quid egiſtis. Reſpondit ille, adduxit ſanctus benedictus Abrahamum, & ſedere eum fecit à dextra ſua.* Et

Nedarim, fol. 32. 2. *Propoſuit ſibi Sanct. ben. derivare ſacerdotium à Semo, ſicut dicitur ille fuit ſacerdos Dei altiſſimi*, Gen. 15. *At cum ille prius benediceret Abrahamo quam Deo, derivavit Deus ſacerdotium ab Abrahamo. Nam ſic dicitur, Et benedixit ei & dixit, Benedictus ſit Abram à Deo altiſſimo, poſſeſſore cœli & terræ, & benedictus ſit Deus altiſſimus. Dicit ei Abrahamus Num benedicunt ſervo ante Dominum ſuum? Extemplo dedit Deus ſacerdotium Abrahamo, ſicut dicitur Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextra mea. Et poſtea ſcriptum eſt juravit Dominus nec pœnitebit, Tues ſacerdos in æternum propter locutionem* [nam ſic interpretantur על דברתי] *Melchizedechi.* Ad *Abrahamum* etiam in explicando hoc Pſalmo, reſpiciunt *Midras Tillin*, aliique. Excellentiſſimi certe commentatores.

Ver. 46. Θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς.

In indumentis ad pedes demiſſis. Vernac. noſtra. *In long robes:* berè atteſtantibus ipſis magiſtris in

Bava bathra, fol. 57. 2. *R. Jochanan quæſivit à R. Banaah* חלוק של תח כיצר *Camiſia diſcipuli ſapientum qualis eſt? Talis ut caro ejus non conſpiciatur infra eum.* Gloſſ. Ut demiſſa ſit uſque ad plantam pedis, ne dignoſcatur quando incedit nudis pedibus.

טלית של תח כיצר *Talith diſcipuli ſapientis qualis eſt? Ne conſpiciatur infra eam camiſia latitudine palmi.*

Quid Στολὴ πρώτη ſit, *Luc.* 15. 22. quæritur. An *ſtola prior*: i. e. quam Prodigus geſſerat olim. An *ſtola prima* vel præcipua: Quæratur etiam, annon *Talith* intelligatur ſpeciatim, utpote quæ & ſtola dignior eſſet quam *Hhaluk*, & quæ ſe primam obtulit oculis conſpicientium.

Sanhedr. fol. 44. 1. *Vidi inter ſpolia* ארדת שנער *Pallium Babylonicum*, Joſ. 7. *Rabb. dicit* איצטלא דמילתא *Stolam meloſin.* Gloſſ. טלית של צמר נקי *Talith de lana puriſſima.*

CAP.

CAP. XXI.

Ver. 24. Ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.

HIEROSOLYMA *calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium*, & quid tum? Quo ſenſu ſumenda hic vox *Donec?* Liberum eſto cuivis judicium ſuum, modo meum mihi. Certus ſum ſalvatorem hic agere de ruina *Hieroſolymæ*, quæro an agat de ejus reſtauratione: Atque an tempora Gentium ſint adimplenda ante ipſum finem mundi, ego quidem non ſatis inſtructus ſum pro affirmativo. Sed hanc diſputationem omittimus. Miramur interim, quod diſcipuli tam plane hæc audientes ab ore magiſtri de ruina urbis & gentis, tam cito quærerent *Domine num hoc tempore reſtitues regnum Iſraeli?* Miramur etiam quod Cl. *Beza* verſiculum proxime ſequentem ſic interpretetur, *Tunc erunt ſigna in ſole*, &c. *Id eſt poſtquam exacta fuerint tempora Gentium ſaluti, & Judæorum ultioni conſtituta, de quare copioſe Paulus, Rom.* 11. 25. Cum nihil clarius in talis interpretationis refutationem dici potuerit, quam illud, ver. 32. *Amen dico vobis, Nequaquam præterierit hæc generatio donec hæc omnia facta fuerint.* Quod, mirum ab eo aliiſque nonnullis, non ſatis animadverſum fuiſſe, ut oportuit, cum revera verba iſta, ſint quaſi Gnomon totius capituli.

Reliqua capitis coincidunt cum *Matth.* 24. & *Marc.* 11. ad quæ loca adduximus ea quæ habuimus dicenda: hic igitur nihil repetimus: Quod & in quamplurimis locis apud hunc Evangeliſtam facimus, cum ille quam plurima habeat quæ referuntur à reliquis Evangeliſtis, & quæ apud eos tractavimus.

CAP.

CAP. XXII.

Ver. 4. Καὶ τῖς στρατηγοῖς.

VOCANTUR Στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ. ver. 52. Et numero ſingulari Στρατηγὸς τῦ ἱερῦ, Act. 4. 1. At quinam hic & illi?

I. Omnibus notum eſt fuiſſe Præſidium Romanum in *Antonia*, cui præcipuè demandata cura adverſus tumultus & ſeditiones in templo. At num Tribunus vel Centuriones iſtius Præſidii dicti Στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ? Imo potius Στρατηγοὶ τῆς Ἀντωνίας. Et certe parum conſtat, duces Romanos conjuratos fuiſſe in vitam Chriſti, ut ad eos ſe conferret *Judas* pacturus de ejus proditione.

II. Probabilior conjectura poſſet eſſe de Præfectis iſtis in templo, de quibus

Shekalim. cap. 5. *Hi ſunt Præfecti qui fuerunt in Templo, Johanan ben Phinchas Præfectus ſigillis. Ahijah Præfectus libaminibus. Matthiah ben Samuel Præfectus ſortibus*, &c. At mihi extra omne dubium eſt, Στρατηγὸς τῦ ἱερῦ fuiſſe duces variarum excubiarum.

Middoth. cap. 1. *Tribus in locis ſacerdotes excubias agunt in Templo: nempe in Beth Abtenes, Beth Nitſots, & Beth Mokad. Levitæ quoque locis viginti uno.* Cum ergo hæ cuſtodiæ, vel excubiæ conſtiterint unaquæque ex multis excubitoribus, erat quidam qui unicuique cuſtodiæ præficiretur. Huc ſpectare arbitror illud *Pilati*, Matth. 27. 68. Ἔχετε κουστωδίαν; Habetis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad cuſtodiendum ſepulchrum.

III. Στρατηγὸν igitur τῦ ἱερῦ diſtinctivè ſumptum, & per eminentiam, ego eum eſſe arbitror qui dicitur איש הר הבית *Montis templi Præfectus*, qui caput erat omnium capitum excubiarum.

Middoth

Middoth ubi ante, halac. 2. איש הר הבית היה מחזיר על כל המשמר ומשמר *Montis Templi Præfectus perambulabat per ſingulas excubias: faceſque ardentes ante eum. Sique aliquem de cuſtodia, qui non pedibus inſiſteret, comperiret, dixit ei, Pax tibi. Si autem adverteret eum dormire, baculo percuſſit, atq; ei permiſſum eſt veſtimenta ejus comburere. Et cum diceretur ab aliis, quiſnam iſte ſtrepitus in atrio? Reſponſum eſt clamor Levitæ vapulantis, & cujus veſtimenta ſunt combuſta, ideo quod in excubiis dormiret. Dixit R. Eliezer ben Jacob Semel invenerunt fratrem matris meæ dormientem, & veſtimentum ejus combuſſerunt.* Confer. *Apoc.* 16. 15.

Facile eſt diſtinguere hunc איש הר הבירה *Præfectum montis templi*, à מבונרה *Præfecto templi vel Sagan.* Nam ille præfuit excubiis tantum, *Sagan* toti miniſterio ſacro. Et ſic diſtinctos eos habes, Act. 4. Σὺν ἀρχιερεῦσι τοῦ ἱερεῦ, ver. 1. & *Annas* qui fuit *Sagan.*

Quid clarius *Lucæ* methodo hoc in loco? Intravit Satanas in *Judam*, paciſcitur ille cum principibus ſacerdotum, & Στρατηγοῖς· quærit opportunitatem prodendi. Atque deinde venit dies Azymorum. Hæc benè conſuant illi, qui cœnam iſtam, *Johan.* 13. ad quam Satanas intravit in *Judam*, volunt eſſe cœnam Paſchalem.

Ver. 19. Τοῦτο ἔστι τὸ σῶμά μου.

Antitheticam partim, partim alluſivam reflexionem, habent verba inſtitutionis Euchariſtiæ per totum.

I. *Hoc eſt corpus meum.*] Propter præſentem Paſchatizationem, reſpicere optime poſſunt hæc verba, corpus agni Paſchalis. *Corpus* inquam *agni Paſchalis* nam ipſiſſimam iſtam Phraſiologiam de eo adhibent Judæi.

Maimon. in Hhamets umatſah, cap. 8. *Introducunt menſam paratam in qua ſunt herbæ amaræ, atque olera alia, & panis azymus, &* חרוסת ונופו של כבש הפסח *Pulmentum Et corpus agni Paſchalis.* Atq; aliquanto poſt. ואוכל מגופו של פסח *Comedit de corpore Paſchatis.* Unde ſenſus ſalvatoris hic facilè elicitur, Eo ſignificatu quo agnus Paſchalis extitit corpus meum hucuſque, eſto amodo hic panis corpus meum.

II. *Quod*

II. *Quod pro vobis datur*] Verùm addit Apostolus, *Quod pro vobis frangitur*: quod non adeo quidem convenit cum agno Paschali, ac cum agno sacrificii jugis. Nam Paschatis nullum os fractum: agnus autem sacrificii jugis fractus & in partes dissectus: uterque tamen corpus Christi, in figura. Atque quamvis hæ inter eos differentiæ, præter fractionem, 1. Quod agnus jugis foret sacrificium pro toto *Israele*, Paschalis autem pro hac aut illa familia. 2. Jugis erat sacrificium pro remissione peccatorum, Paschalis vix ita. 3. Jugis igne absumptus, Paschalis comesus. Tamen in hoc convenerunt, quod sub utroque effigiatum est corpus Christi sub varia notione.

III. *Hoc facite in commemorationem mei.*] Sicut Pascha fecistis in commemorationem exitus ex Ægypto.

Beracoth. cap. 1. hal. ult. *Recordaberis diem exitus tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Ben Zuma sic interpretatur, Diebus vitæ tuæ, id est interdiu, omnibus diebus vitæ tuæ, id est etiam noctu. At sapientes dicunt Diebus vitæ tuæ, id est in hoc sæculo. Omnibus diebus vitæ tuæ, ut includantur dies Messiæ.*

At cum in diebus *Messiæ* peracta & præstita sit nobilior liberatio & redemptio, quam ista ex Ægypto, permitte jam ô Judæe ut ista commemoretur, atque ille qui rem præstitit. Suspicio nobis est ad 1 Cor. 11. nonnullos Corinthiorum in ipsa participatione Eucharistiæ adeo Judaizasse, ut illud quod institutum fuit in commemorationem redemptionis per mortem Christi perverterint in commemorationem exitus ex Ægypto: & nequaquam in sacramento discernerent corpus Domini.

Sub lege erant variæ comestiones sacræ, rerum sacrarum.

Prima illa, de qua, *Siphra.* fol. 24. 4. כהכים אוכלים ובעלים מתכפרים *Quando sacerdotibus de sacrificio commedentibus, expiatio facta est pro offerente.*

Aliæ, Chagigarum, decimarum, sacrificiorum Eucharisticorum, &c. comedendorum ab offerentibus, quæ omnia jam terminantur. Et jam hoc facite, idque in commemorationem mei.

IV. Τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.] Respici videtur ad poculum vini, effusum quotidie in libaminibus cum sacrificio jugi, nam & illud effusum pro remissione peccatorum. Ut paris respiciat corpus sacrificii jugis, & poculum, vinum libationis.

V. *San-*

V. *Sanguis meus novi Teſtamenti.*] Sic *Matthæus* & *Marcus*. Reſpectu habito ad ſanguinem taurorum, & hircorum quo pactum eſt vetus Teſtamentum, *Exod.* 24. *Heb.* 9. 19.

VI. *Novum Teſtamentum in ſanguine meo.*] Sic hic noſter, & Apoſtolus, 1 Cor. 11. Reflexione habita, ad totum miniſterium altaris, ubi effuſio ſanguinis: Imo ad totum Judaiſmum, nam hinc inchoatio novi Teſtamenti. Et videtur quod frequens illa participatio Euchariſtiæ, in primordiis iſtis eccleſiæ, inter alia fuerit, ut obſignarentur, firmarenturque converſi illi à Judaiſmo contra Judaiſmum: exiſtente ipſo Sacramento nota ceſſantis veteris Teſtamenti, atque inchoati novi.

Ver. 21. Πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος, &c.

Quidnam amplius deſiderari poteſt, ut demonſtretur Judam affuiſſe ad Euchariſtiam? Dum contrarium aſtruitur ex Johan. 13. fit nihil ex nihilo, nam in toto illo capite ne ſyllaba quidem una de cœna Paſchali, ſed de cœna *ante feſtum* Paſchæ.

Ver. 26. Ὡς ὁ νεώτερος.

Vulg. & interlin: *Sicut junior.* Vernac. noſtra *As the younger*, optime: Nam ut Beza in locum, Νεώτερος *proprie dicitur de ætate.* Quæro ergo ego,

I. Annon Petrus fuit maximus natu in toto cœtu? Quonam fundamento quiſquam negaverit? Inter duodecim neceſſe erat, ut aliquis eſſet numero & ordine primus, & congruentiſſimum ut maximus natu numeraretur primus. Et quemnam dixeris ſeniorem Petro?

Hinc ille primus in Catalogo Apoſtolorum, quia maximus natu: Hinc ſedit ille ad menſam proximus magiſtro, quia maximus natu. Hinc ſermones Chriſti frequenter ad eum peculiarius directi, & reſponſa ejus ad Chriſtum vice reliquorum, quia ille maximus natu. Quod in mentem revocat אמוריה או מתרגמניה שלו *Interpretem Doctoris*, in ſchola Rabbinica qui interlocutor erat inter magiſtrum & Diſcipulos, eâque ratione primus in ſchola, verùm abſque Primatu. Cum in Sacro collegio poſt aſcenſionem ſalvatoris Petrus vulgariter ſit Prolocutor, quis probabili-

orem rationem ejus rei reddiderit, quam ejus Senioritatem? An reliqui non æque habiles ad loquendum ac ille? An non illi æqualis cum eo authoritatis, zeli, fidei, scientiæ, &c. At ille maximus natu.

II. Non possum ergo non ex proprio significatu vocis Νεώτερος [cui respondet ὁ μείζων ætatem respiciens] suspicari aliquem ex iis ob senioritatem privilegium aliquod aut primatum sibi vendicasse: & nisi ostendas aliquem Seniorem *Petro*, ignosce mihi, si opinor illum in hac contentione fuisse antesignanum: Et litem præcipue motam fuisse inter eum & Zebedæanos. Nam parum probabile videtur, reliquos novem contendere voluisse pro primatu cum *Petro*, *Jacobo & Johanne*, quos Christus coram iis peculiarius notis favoris sui ornaverat & distinxerat. Ita ut rixa inter hos tres videatur specialius ferveſcere, & *Petrus* dux esse in contentione, partim quod Christus eum nominatim corripiat, partim quod non meminisse non possit illud Jacobi & Johannis, *Domine sedeamus nos à dextra tua & sinistra.*

Ver. 31. Σίμων, Σίμων.

Mutentur nomina & personæ. *ô Thoma Thoma: ô Philippe Philippe. Satanas expetivit*, &c. *Ego autem rogavi*, &c. quisnam hinc eliceret Primatum *Thomæ & Philippi* supra reliquos Apostolos, atque omnes ecclesias? Quod tamen pro *Petro* faciunt Pontificii. Quis non verba intelligeret potius, ut verba objurgantis. *O Thoma, ô Philippe*, tune adeo exardescis æstu contentionis pro primatu, cum *Satanas* contra vos omnes exardescat; & dum vos contenditis, ille contra omnes contendat. Sub tali notione ego Christum Petrum alloqui minime dubito: atque illum objurgationem ex hisce verbis reportare, longe magis quam promotionem ad primatum.

Ver. 31. Ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.

Emphasis videtur esse in voce Πίστις. In reliquis Apostolis defecit quidem *virtus* illa & *magnanimitas* Christiana, quam exeruisse & exercuisse oportuit in tali periculo, at longe longius aberat eorum *fides* à naufragio quam fides *Petri*. Derelinquunt quidem illi

illi magiſtrum & aufugerunt, *Marc.* 14. 50. atque hoc non niſi cum aliquo conſenſu Domini, *Johan.* 18. 8. At cum *Petrus* abnegaret Dominum atque abjuraret, quantillum abſuit ille ut fieret משומד *Apoſtata*, atque ipſa ejus fides naufragaretur penitus.

Ceſſit certè in *Petri* commodum quod Chriſtus pro eo oraverit, at non ita multum cedit in honorem ejus quod ille præ omnibus aliis opus habuerit talioratione.

Ver. 36. Πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ
καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν.

An ſerio hæc conſulit ſalvator?

I. Vulgari utitur dialecto: nam ſic & magiſtri in rebus aliis.

Maimon. Chanuchah, cap. 4. *Qui non habet quod comedat niſi ex eleemoſyna, mendicet* או מוכר כ׳ וחן *aut vendat veſtimentum ſuum, ut comparet ſibi oleum & lucernas pro feſto Encæniorum*, &c.

II. Admonet de impendente periculo, & vulgari modo locutionis adhibito, vult evincere, gladiis in communem hoſtem potius opus eſſe, quam rixis & contentionibus inter ſeipſos. Non tam hortans ut vim vi repellant, quam ut apprehenſione communis contra ipſos inimicitiæ, propriam inter ſe animoſitatem reprimant.

Ver. 37. Καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει.

Ideſt, Jam res veſtra eſt agenda, nam mea eſt acta. Me inter vos præſente, filii thalami non habuerunt cur lugerent, at me ſublato atque inter ſceleſtos numerato, cogitate jam quid de vobis & à vobis agendum, & num hoc eſt tempus inter vos rixandi?

Ver. 43. Ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν.

I. In tentationibus in eremo nullus ei affuit Angelus, nam dicit Matthæus, cap. 4. 10. *Tunc discessit ab eo Diabolus, & ecce venerunt Angeli & ministrarunt ei*: nempe cum Diabolus ab eo jam discesserat.

At in hac tentatione, Ἄγγελος ἐνισχύων. Et quare? Propter Ἀσωτίαν ejus dices, idque verissime, verum unde & qualis ista Ἀσωτία? Ex sensu inquies iræ atque indignationis divinæ. Ego ita dicere quidem non audeo, nec cogitare quod ei indignatus atque iratus fuerit omnino. Et si eum ita premeret angor & Agonia ob prementem iram Dei, non video certe qualem confortationem ministrare potuerit Angelus contra talem iram: Arguit potius Deum ei non iratum fuisse, quod miserit ad eum Angelum confortantem.

II. Certissimum est Christum cum furibundo atque irato Diabolo jam esse colluctatum, imo cum Diabolo à catena sua soluto, & sine aliqua divinæ providentiæ cohibitione permisso ut omnes vires & furias suas in eum exereret. Quod à Deo non permissum ex aliqua erga filium suum indignatione, sed ut per nobilem hunc Athletam suum, contra insultantem hostem, victoriam reportaret etiam humana natura. Nam parum erat vicisse Diabolum per meram potentiam divinam.

III. Quamvis igitur non referatur in terminis, promptum tamen mihi est persuaderi, quod Diabolus apparuerit Christo in specie aliqua visibili. Induit ille cum eum tentaret in eremo formam Angeli boni, vel potius speciem aliquam Spiritus Sancti: In hac autem ultima tentatione, induit seipsum, atque apparuit in propriis coloribus, in forma scilicet aliqua dira & horrenda, qua Christum perterrefaceret. Atque inde ille Ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, Marc. 14. 33. atque hic Γίνεσθαι ἐν ἀγωνίᾳ.

Nec temerè leviterque hoc supponimus, sed hisce rationibus.

I. Cum in horto antiquus iste Draco primum *Adamum* aggressus sit in specie visibili, non incongruum est opinari eum jam in horto etiam secundum *Adamum* aggredi specie etiam visibili.

II. Dicit

II. Dicit Evangelista hic noster de tentatione in eremo, *Finita omni tentatione discessit ab eo Diabolus* ἄχρι καιροῦ, *Luc.* 4. 13. Redit in hac, Johan. 14. 30. & non video, cur jam non in specie aliqua visibili æque ac tunc temporis.

Tunc temporis in forma placida & grata ut Christum falleret, nunc tempors in horrida & tremenda ut eum terreat. Nam cum satis expertus fuerat quam frustra conatus sit eum allicere, quid ei jam reliquum, nisi ut animum, si fieri possit, terrore quasset.

III. Cum enim nihil in tota officina nequissimi istius artificis ad quassandos animos mortalium magis valeat quam horrenda ejus apparitio, nemo conceperit neglectam ab eo jam fuisse istam machinam: ut per oculos ejus, si fieri possit, perturbet animum.

Quod igitur fingunt aut somniant Judæi in *Hieros. Kilaim.* fol. 32. 2. *Solomon vidit Angelum mortis* [Diabolum] *frendentem dentibus. Discipulus* τῦ *Rabbi vidit Angelum mortis frendentem dentibus.* Ego revera hic actum arbitror: Quod scilicet Christus viderit Diabolum, Antiquum Draconem ei inhiantem cum omnimodo, quem induere potuit, horrore.

In parem sensum ego intellexerim illud, de *Angelo Satanæ Apostolum colaphizante*, 2 Cor. 12. nempe quod Diabolus in terribili aliqua specie visibiliter ei apparuerit atque eum afflixerit. Et forsan eodem spectat ardens ejus desiderium discipulos ventilandi, ver. 31. nempe ut ei permitteretur talibus terriculamentis eos aggredi.

Ver. 44. Ὁ ἱδρὼς αὐτῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος.

Diodorus Siculus, lib. 17. pag. 560. de regione loquens ubi rem habuit *Alexander* magnus cum *Poro*, hæc habet. *Serpentes ibi sunt* Οἱ διὰ τῶν δηγμάτων ὀξεῖς θανάτους ἀπεργάζονται· Τὸν δὲ πληγέντα πόνοι δεινοὶ συνέχουσι, καὶ ῥύσις ἱδρῶτος αἱματοειδὴς κατέχει. *Qui per morsus suos mortes acerbissimas operantur: percussum autem ab iis angores graves tenent, & profluxus sudoris instar sanguinis prehendit.* Sudorem pariter hunc salvatoris ego ictui serpentis antiqui potius ascripserim, quam iræ divinæ apprehensioni.

Ver.

Ver.47. φιλῆσαι αὐτόν.

Horridum & terribilem Diabolum experitur Salvator, at cicurem & mitem videtur nactus proditor. Verſaturille inter diſcipulos, & nullum ſpecimen inhabitantis in eo Diaboli. Adeſt ad Paſcha, ad Euchariſtiam, ad ipſa labia Chriſti, & nullum inhabitantis in eo *Satanæ* indicium. At cum peractum per te eſt opus *Satanæ*, tum vide tibi ô *Juda* à tuo Diabolo.

Eſto leniſſimum de machinatione ejus judicium: quod nempe ſecum cogitarit, non poſſibile fuiſſe ut prehenderetur Chriſtus à Judæis, utpote quem viderat, præter alia miracula ſtupenda operantem, ſeipſum etiam è manibus eorum ſemel iterumque liberantem. Atque eſto, quod cum diceret *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*, deriſoriè hæc dixerit utpote autumans impoſſibile fuiſſe iis illum tenere. Eſtoque quod cum videret eum damnatum, pœnitentia eſt ductus, minime ſuſpicatus rem ad talem eventum proceſſuram, ſed Chriſtum ſeipſum è manibus eorum liberaturum, atque ipſum triginta nummos lucrifacturum: Detur hanc fuiſſe ejus machinationem, & coloribus quantum fieri poteſt Apologeticis cohoneſtetur, ſceleſtius tamen quicquam non patratum eſt à creato homine, quam ſic ludere cum ſanctoſanctorum, & mercaturam facere filii Dei. Verùm ego deteriora ſuſpicor in animo proditoris. Nempe quod Chriſtus realiter ei diſpliceret, & quod cum magnis illis doctoribus gentis, ſuſpicaretur eum quidem eſſe *Meſſiam*, ſed non talem qui carnali eorum expectationi reſponderet.

Diſtinguunt magiſtri oſcula, in *licita oſcula*, & נשיקות הפלוה *Oſcula fatuitatis*, & dicunt in

Shemoth. rabba. fol. 122. 4. *Quod omnia oſcula ſunt oſcula fatuitatis præter tria*: quæ ibi numerant.

At qualenam quæſo hoc oſculum? *Oſculum fatuitatis*, eſt Nana nimis & nimis Pygmæa Phraſiologia pro Giganteo hoc monſtro.

Ver.

Ver. 53. Αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους.

Adest jam serpens ipse in *Juda*, & semen serpentis ipsa hac turba, cui fatale erat conterere calcaneum *Messiæ*: & jam est hora vestra pro isto scelere. Olim prædictum est de re, & prædeterminatum est de instrumentis, & jam solvuntur omnia claustra impedientia, & licet vobis quod vultis. Laxantur catenæ Diaboli & permittitur ei, divina providentia nequaquam coercente, vires & furores suos exercere pro suo libitu, nam nunc est potestas tenebrarum.

Σκότος est Diabolus Allegoristis.

Aruch in חשך *In Jelammedenu super verba ista, Accipe virgam dicitur Primo die creationis creatus est Angelus mortis* [Diabolus] *sicut dicitur & tenebræ erant super faciem abyssi, hoc est Angelus mortis qui obtenebrat oculos hominum.*

CAP.

CAP. XXIII.

Ver. 2. Τὸν ἔθνος διαστρέφοντα τὸ ἔθνος.

SANHEDR. fol. 103. 1. *Discipulus corrumpens edulium suum publicè* כגון ישו הנוצרי *Sicut fecit Jesus Nazarenus.*

Corrumpere edulium publice, magistris est corrumpere veram doctrinam hæresi, & verum Dei cultum idololatria. Hæc præsens accusatio Christi, quod Heterodoxa doceret & perniciosa, talia præsertim quæ populum averterent atque abalienarent ab obedientia Romanorum.

Aruch hæc Talmudica cautiùs profert, Nam pro, *Sicut fecit Jesus Nazarenus*, habet, *Sicut fecit Jeroboamus.*

Ver. 7. Ἀνέπεμψεν αὐτὸν πρὸς Ἡρώδην.

An ut concedens jus *Herodi* Hierosolymis in capitalibus de *Galilæis*? Quin potius ut vel aduletur tyranno, vel ut molestiam & odium à se amoveat circa condemnationem *Jesu*: quem innocentem esse judicavit, & cujus aliqualiter est misertus. Censens forsan eum esse שוטה delirum & vix compotem mentis. Quod & censuisse videtur Herodes, per stolidam istam stolam qua eum amicivit Ἐσθῆτα λαμπράν. Quam ego de veste alba cum aliis intellexerim, nisi quod videam hunc Evangelistam cum de veste alba habet sermonem, *albam* eam vocare in terminis, cap. 9. 29. Ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς, Act. 1. 10. Δύο ἄνδρες ἐν ἐσθῆτι λευκῇ.

Ver. 30. Τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, &c.

Sic dicunt illi, *Apoc.* 6. 16. Unde inter alia colligere est caput illud agere de plagis excidium *Hierosolymitanum* præcedentibus, atque ipso excidio. Accuratiùs expende istud caput, & forte mecum cogitabis. Et non parum lucis methodo Apocalyptæ, si me non fallant oculi mei, præbet illud obsevatum.

Ver.

Ver. 31. Ἐι ἐν ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν.

Recurre hinc ad verba Baptistæ, *Matth.* 3. 10. *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Tum scilicet cum gens Judaica regimini Romanorum sit subjecta qui eam erant excisuri. Et si illi ita mecum agant ligno virente, quid fiet tandem de tota gente, trunco arido & emortuo?

Ver. 34. Ἔβαλον κλῆρον.

Jecerunt sortem de veste ejus inconsutili, *Johan.* 19. 23, 24.

Supponitur *Moses* ministrasse in tali vestimento.

Taanith. fol. 11. 2. *Quali amictu ministravit Moses septem diebus consecrationis?* בחלוק לבן *Camisiâ albâ. Rabh. Cahna dicit* בחלוק לבן שאין לו אמרא *In camisia alba in qua non erat sutura.* Gloss. *Tota camisia erat compacta de filo uno, & non sicut vestes nostræ, quæ habent brachialia affixa ad vestem corporis per suturam.* At rationem hujus vestis inconsutilis reddit ridiculam. Ad evitandam scilicet suspicionem, ne *Moses* in futuris vestimenti absconderet aliquid nummi sacrati.

Ver. 36. Ὄξος προσφέρειν αὐτῷ.

Acetum erat potus vulgaris militum Romanorum: atque hinc præsto jam est apud eos quibus demandata est custodia crucifixorum.

Ælius Spartian. in Pescen. Nigr. *Idem jussit vinum in expeditione neminem* [militum] *bibere, sed aceto universos esse contentos.*

Capitolin. in Gordiano tertio. *Cujus viri* [Misithei] *tanta in republica dispositio fuit, ut nulla esset unquam civitas limitanea potior — quæ totius anni in aceto, frumento & lavido atque hordeo & paleis condita non haberet.*

Trebell. Poll. in Claudio. *Dabis fœni, palea, aceti, oleris, herbarum quantum satis est.*

Hinc minus difficile est Evangelistas conciliare inter se, cum loquuntur de vino dato myrrha misto, & de aceto, duplici scil. po-

culo, uno antequam cruci affigeretur, myrrhato scil. altero aceti cum jam in ea penderet: primo per Judæos oblato pro more, altero per milites, pro ludibrio.

Si vero triplex poculum concesseris, evanescit omnis difficultas penitus. Primum esto *vinum myrrhatum*, secundum *acetum cum felle*, tertium *acetum purum*, quod & maleficis dedissent milites, si potum efflagitassent, utpote quod esset proprium ipsorum poculentum. Hinc καὶ ὄξος μισὸν erat in promptu, ut inde ipsi milites biberent cum esset opus, & crucifixi etiam si esset opus.

Ver. 42. Μνήσθητί μου κύριε.

Christus est jam in cruce, sicut *Josephus* olim in carcere, inter duos maleficos. Illuc unus liberatur, alter suspenditur, hic unus salvatur, alter perit.

Fides hujus latronis est quidem stupenda, & quæ æquis passibus incesserit cum fide Apostolorum, si non & in aliquibus excesserit.

Agnoverantilli *Jesum esse Messiam*: agnoscit pariter & ille: & hoc insuper, quod an illi clare agnoverint quærere licet ex cap. 24. 26. nempe quod post mortem ejus, regnum ejus. Et de regno ejus videtur ille sanius judicare, quam illi adhuc judicarunt, ut suspicari licet ex Act. 1. 6.

Visum enim est Deo in hoc articulo temporis, gratiam suam singulari & non ordinario modo glorificare, & in conversione peccatoris, & in remissione ejus peccatorum. In tali inquam articulo temporis, qualem nec unquam adhuc viderat mundus, nec erat unquam postea visurus, in ipso instanti in quo *Messias* erat jam operans redemptionem.

Innotuit utrique latroni, *Jesum* ideo ad mortem damnatum, quod se profiteretur esse Christum, hinc illud impœnitentis, *Si tues Christus serva teipsum & nos*: & si hic noster aliquandiu cum impeteret convitiis cum altero, quod innui videtur, *Matth.* 27. 44. tactum tamen tandem est cor ejus, & forsan ex conspectu miraculosarum tenebrarum, quæ omnia jam obvolverant.

Ver.

Ver. 45. Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.

I. Agamus primum de Phraſiologia Ἐν τῷ παραδείσῳ. Vulgari Dialecto בגן ערן *In horto Edenis*: quo autem ſenſu, ex hiſce conjiciamus.

Chagigah. fol. 14. 2. תר ד נכנסו בפרדס *Tradunt Rabbini. Quatuor ingreſſi ſunt paradiſum: nempe Ben Azzai, Ben Zuma, Acher, & R. Aquiba. Dicit iis R. Aquiba, cum appropinquatis ad lapides puri marmoris, ne dicatis* מים מים *Aquæ, Aquæ.* [i. e. vah hæ aquæ impediunt ut non poſſimus procedere] *nam ſcribitur, loquens mendacium non habitabit coram facie mea.* [mendacium autem eſt vocare marmora candida, aquas.] *Ben Azzai* הציץ *curioſe proſpexit & mortuus eſt, & de eo ſcriptura dicit, Preciosa in oculis Domini mors Sanctorum ejus. Ben Zuma* הציץ ונפגע *Curioſe circumſpexit, & turbatus eſt intellectu: Et de eo ſcriptura iſta loquitur, Si inveniss mel, de eo comede quod ſufficit, ne inde ſatieris & revomas.*

Aruch hæc citans, ſic ait גינהו פרדס מעניין גן ערן *Appellatur Paradiſus ſignificatu Horti Edenis qui reſervatur pro juſtis. Locus autem iſte eſt locus* בערבות *In cœlis ubi animæ juſtorum ſunt compactæ.* Et in eundem ſenſum Gloſſ. Talmudica: *Hi quatuor* עלו לרקיע *aſcenderunt in firmamentum Deo procurante.*

Quis hæc legens non illico in mentem revocat hiſtoriam iſtam de Paulo in Paradiſum rapto, 2 Cor. 12. Cujus hiſtoriæ forſan hæc legenda eſt ſimia. In illa hoc obſervandum quod *Paradiſus & cœlum tertium* ſunt idem: In hac quod Paradiſus & ערבות *Cœlum ſupremum*: Nam ſic de voce in *Pſal.* 68. 5. commentantur magiſtri.

Midras Tillin. fol. 11. 3. *Sunt ſeptem claſſes juſtorum, qui vident faciem Domini, ſedent in domo Dei, aſcendunt in montem Dei, &c. Atque unicuique claſſi eſt habitatio propria* בגן ערן *In paradiſo. Sunt etiam ſeptem habitationes in Gehennah.*

Hi habitantes in Paradiſo יזהירו כזוהר הרקיע *Splendent ſicut ſplendor firmamenti, ſicut ſol, ſicut luna, ſicut firmamentum, ſicut ſtellæ, ſicut fulgura, ſicut lilia, ſicut lampades.* Ibid.

II. Quum ergo ſalvator latroni pœnitenti pronuntiat, *hodie mecum eris in Paradiſo.* Loquitur cum vulgo & ad captum latro-

nis. Futurum scil. eum in cœlo cum Christo, atque omnibus justis vita functis. Atque ego explicationem istius articuli in Symbolo nostro Κατῆλθεν εἰς Ἅδου, non aliunde petierim quam ab hoc ipso dicto: addito quod recurrendum etiam est ad linguam Græcam pro significatione vocis Ἅδου, quæ statum post mortem denotat, beatorum æque ac miserorum.

Illi qui verba ista, 1 *Pet.* 3. 19. intelligi volunt de descensu ejus jam à cruce ad prædicandum in inferno, parum observant scopum Apostoli isto in loco & toto cœlo errant ab ejus animo.

I. Quod concludat generationem antediluvianam in carcere tartareo, est cum recepta sententia gentis: confitentis, Quod generatio ista portionem nullam habuit in mundo futuro, & quod judicata est aquis ferventibus, & Gehenna.

II. Confert præsentem generationem Judæorum, cum ista antediluviana. Christum olim prædicasse isti generationi, sic jam prædicare præsenti. Periisse istam generationem per inobedientiam, perituram & hanc. Qualem collationem etiam facit, 2 Epist. cap. 3. 6, &c. Observandum est, ut Apostolus transiliat à cruce & resurrectione Christi ad generationem antediluvianam prætermissis omnibus generationibus intercurrentibus, ut hanc collationem faciat & indigitet.

Ver. 53. Ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι.

Megillah. fol. 26. 2. מטפחות ספרים שבלו עושין אותן למת מצוה וזו היא נגיותן תכריכין. *Mar Zutra dicit, De linteis, quibus libros involvunt jam veterascentibus, faciunt involucra pro mortuo præcepti, nam hoc est in dedecus eorum.* Gloss. addit, *Etiam de linteis quibus involvunt librum legis.*

Illum qui mortem passus est judicio Synedrii, vel magistratus, vocarunt מת מצוה *Mortuum præcepti*, quia mors ei inflicta secundum præceptum: & talis iis erat jam *Jesus* noster. Jam vero de tali ad mortem per magistratum damnato, sic conceperunt, quod quo dedecorosius cum eo est actum, eo magis pro eo est expiatum. Hinc לא היו מתאבלין *Non apertè planxerunt eum, ut ejus vilificatio* [nemine eum plangente] *cederet in ejus expiationem.* Atque inde forte, si quem alium planxerant fœminæ Hierosolymitanæ,

roſolymitanæ, prout luxerunt ſalvatorem, diceret ille alius, Filiæ Hieroſolymæ ne me lugete, ne tantum expiationis meæ decurtetis: at *Chriſtus* alia longe ratione. Sub eadem notione, mortuo tali applicuerunt involucra panno'a, lacera, vetera, ſordida, ut dedecus hoc magis expiationem ejus augeret. Sed contraria agit optimus hic Arimathæanus cum *Jeſu*, quia longe contraria de eo concepit.

Ver. 54. Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

Vulg. *Et Sabbatum illuceſcebat: Non male.* Bez. *Et Sabbatum ſuccedebat.* Non propriè. Congruentius dictum arbitreris Καὶ εἰς Σάββατον ἐσκοτίζετο *Obtenebreſcebat in Sabbatum:* nam ingruebat nox Sabbatum præcedens. Verùm

I. Lucebant jam candelæ Sabbaticæ, accenſæ in honorem diei.

Schabb. fol. 34. 1. *De tribus neceſſe eſt ut homo moneat ſuos in domo ſua, veſpera Sabbati, cum jam incipit nocteſcere. Num decimaſtis?* ערבתם *Num ſocietatem Erubbicam iniiſtis?* הדליקו את הנר *Accendite lucernam.*

Maimon. in Schabb. cap. 5. *Tenentur & viri & fœminæ ad accendendum lucernam in domo Sabbato. Etiam, ſi non ſit homini quod comedat, mendicet oſtiatim, ut acquirat oleum, & accendat lucernam.*

His tantum obſervatis, non incongrue intelligi poſſet Phraſiologia Evangeliſtæ, reſpectu habito ad has lucernas, *Sabbatum illuceſcebat per accenſas lucernas.* Verùm non hic acquieſcimus.

II. Veſpera Judæis vocabatur אור & אורתא *Lux.*

Peſachin, cap. 1. hal. 1. אור יד בודקין את החמץ באור הנר *Luce diei decimæ quartæ, inveſtigant fermentum per lumen candelæ.* Luce diei decimæ quartæ, id eſt veſpera, vel nocte diem antecedente. Sic

Rambam. in loc. בדיקת החמץ בלילה *Inveſtigatio fermenti erat nocte diei decimæ quartæ; quamvis comeſtio fermentati non prohiberetur ante meridiem diei decimæ quartæ. Aſt hoc inſtituerunt, quia lumen lucernæ nocte eſt commodiſſimum pro inveſtigatione: & tunc temporis etiam omnes homines ſunt domi.*

Cheri-

Cherithuth. fol. 79. 2. & *Adaioth*, cap. 4. hal. 10. חמפלת לאור פא

Fœminam quæ abortivum quid parit Luce [i. e. veſpera] *diei octogeſimi primi ſchola Shammæana abſolvit ab oblatione, Hilleliana non.*

Gloſſ. אור לפא ליל לפא *Luce octogeſimi primi, eſt nocte octogeſimi primi.*

Quæſtio de qua diſputatur hæc eſt. *Fœmina quæ peperat fœmellam, tenebatur ad purificationem octoginta dierum*, & poſt finitos iſto sdies tenebatur ad oblationem, *Levit.* 12. 5, 6. Jam ergo cum adducenda eſſet oblatio die octogeſimo primo, quæritur, Quid ſi vero intra noctem quæ diem octogeſimum primum inchoat enixa fuerit aliquod abortivum, num craſtino offerendum ab ea ſacrificium unum an duo? unum pro puella, alterum pro abortivo iſto partu Schola Shammæana unum tantum vult, Hilleliana duo.

Peſikta. fol. 10. 4. de ſacrificio votivo, ex *Levit.* 7. 17.

יכול יאכל לאור השלישי *Forte comedatur luce* [veſpera] *diei tertii.* תל עד יום השלישי *Textus dicit ad diem tertium. Uſq; ad diem tertium comeditur.* אינו נאכל לאור השלישי *At non comeditur luce* [i. e. veſpera vel nocte] *diei tertii*: nam tum ingreſſus eſt dies tertius.

Jam vero in hac Phraſi, vocem reſtringunt potiſſimum ad initium noctis, quamvis aliquando quidem ſumatur pro tota nocte, ut in traditione citata de fœmina abortivum quid enixa: & ſic Gloſſ. in *Peſachin.*

Maimon. in Hhamets umatſah, cap. 2. Cum agit de exterminatione fermenti quæ debuit eſſe אור ליר *Luce diei decimi quarti*, id eſt, nocte diem decimum quartum inchoante, ſic dicit, *Ex præſcripto ſcribarum inveſtigant exterminantque fermentum* לילה מתחלת ליל יד *Nocte, nempe ab initio noctis diem decimum quartum præcedentis.*

Pari ſenſu Gemariſtæ de אורתא in

Beracoth. fol. 3. 2. ממאי הא נשף אורתא הוא *Unde crepuſculum vocatur* אורתא *Lux? Inde quod ſcribitur, In crepuſculo veſpere diei*, Prov. 7. 9.

Arbitratur *Rambamus* ſic dictum eſſe per contrarium, nam ſic ille in *Peſachin.* cap. 1. *Vocatur Nox* אור *Lux eo modo quo vocant multas res per contrarium.*

At

At Gemaristæ in locum astruunt, *vesperam* non improprie dici *lucem* ex verbis istis, Psal. 148. 3. הללוהו כל כוכבי אור *Laudate eum omnes stellæ lucis.*

Quamvis ergo incongruum sonare potuerit auribus Græcanicis & Romanis cum audirent vesperam, vel ingressum noctis enuntiari per ἐπέφωσκε, auribus tamen Judaicis non erat insolens aut alienum. Et promptissime intelligerent illi Evangelistam cum gente loquentem, cum Σάββατον ἐπέφωσκε *Illucescebat Sabbatum*, diceret, at vellet tamen, *Ingruebat nox Sabbati.*

Ver. 56. Καὶ τὸ μὲν Σάββατον ἡσύχασαν.

Si sublatus est Christus de cruce occidente jam Sole, ut *Deut.* 21. 23. *Jos.* 7. 29. tum hoc spatium temporis hic habuerunt fœminæ ad coemenda aromata, atque alia negotia expedienda, antequam ingrederetur Sabbatum.

I. בין השמשות *Inter Soles.* Sic vocarunt spatium illud quod intercedit inter occasum Solis, atque apparitionem alicujus stellæ.

II. An non & illud spatium quod intercedit inter primam stellam & secundam, judica ex hoc

Hieros. Beracoth. fol. 2. 2. *Vespera Sabbati, si videt stellam unam & facit opus, absolvitur, si duas, afferat sacrificium suspensum pro transgressione.*

III. An & ulteriorem libertatem non habuerint in re funebri, judica ex hoc

Schabb. fol. 151. 1. עשין צורכי המת *Præstant omnia necessaria mortuo* [Sabbato] *ungunt & lavant eum, proviso hoc, Ne quod membrum ejus moveant*, &c.

Non tutum quidem erat fœminis, officiosas nimium in exequiali aliqua sedulitate jam se demonstrare, cum Jesus ut maleficus obierit & odiosus populo, ne populum in seipsas etiam exasperarent: præsertim si aliqualiter violarent Sabbatum. At, præter honorem ab iis depensum Sabbato, prudentiæ erat non pellere Sabbatum pro opere isto, quod tempestive satis præstare se posse arbitratæ sunt, elapso Sabbato.

CAP.

CAP. XXIV.

Ver. 5. Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν;

SHEMOTH *rabba*, fol. 124. 1. *Parabola. Sacerdos cui erat ſtolidus ſervus, profectus eſt aliquo extra urbem. Servus quærens Dominum vadit in cœmeterium, atque exclamat ibi ſtantibus. Num hic vidiſtis herum meum? At illi, Nonne herus tuus eſt ſacerdos? Imo inquit ille. Tum illi, ô ſtulte quis unquam vidit Sacerdotem inter Sepulchreta? Sic dicunt Moſes & Aaron Pharaoni. Stulte, Num mos eſt ut quærantur mortui inter vivos, Aut forte vivi inter mortuos? Deus noſter eſt Deus vivens, at Dii illi de quibus tu loqueris ſunt mortui*, &c.

Ver. 13. Καὶ ἰδοὺ δύο ἐξ αὐτῶν ἦσαν πορευόμενοι, &c.

Unus horum erat *Cleopas*, ver. 18. quem eundem eſſe cum *Alphæo* oſtendimus alibi, & ex congruitate nominum [nam חלפי Hebraice ſcriptum inſervit utrique nomini] & ex collatione, *Johan.* 19. 25. cum *Marc.* 15. 47. *Matth.* 27. 56. *Petrum* fuiſſe alterum ego minimè dubito, & ex ver. 34. hujus capitis fiduciam ſumens, & ex 1 *Cor.* 15. 5.

Cleopas, aut *Alphæus*, ut vides eſt ille qui interloquitur, & non *Petrus*, quippe quod *Petro* grandævior foret, utpote qui pater eſſet quatuor Apoſtolorum.

Ver. 15. Ὁ Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς.

Duobus rus proficiſcentibus conſpicuum ſe præbuit aliâ formâ, Marc. 16. 12. At quali, audacius foret determinare. Videtur tamen quod alia ab hortulani forma, imo quod non in plebeii alicujus forma, quin potius ſcholaris, cum eos erudiat in via, & gratias pro iis agat ad menſam. Nam

Beracoth.

Beracoth. fol. 45. 2. *Si duo comedant simul, quorum alter est* סופר *Doctus, & alter* בור *Indoctus, doctus agit gratias.* Hinc illud

Bereshith rabba. fol. 101. 3. Jannæus Rex evocat Simeonem ben Shetahh. vice præfectum Synedrii, Doctorem, ut gratias agat post cœnam: Et sic ille *Benedictus sit Deus pro cibo quem comederunt Jannæus & convivæ sui. Cui rex, quousque perstas tu in perversitate tua? At ille, Quid mihi dicendum? Num Benedicamus pro cibo quem comedimus, cum ego nihil ederim omnino?*

Ver. 21. Ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν.

Nos autem sperabamus illum redempturum Israelem, id est, Prout speravit gens redemptionem à jugo Ethnico. At non permisit paupertas & humilitas *Jesu* tale quid expectare peragendum gladio, secundum somnium gentis, sed miraculosè præstandum sperarunt, sicut præstita fuit prima redemptio ex *Ægypto.*

Τρίτην τὴν ἡμέραν ἄγει σήμερον.

Notentur ea quæ notant magistri de die tertio.

Bereshith rabba. fol. 62. 2. *Abraham levavit oculos suos die tertio, Gen.* 22. 4. *Scribitur vivificabit nos post dies duos, tertio die resuscitabit nos & vivemus in conspectu ejus, Hos.* 6. 2. *Et de die tertio tribuum scribitur. Dixit iis Josephus die tertio, Gen.* 42. 18. *De die etiam tertia exploratorum Abscondimini illic dies tres, Josu.* 2. 16. *Et de die tertia promulgationis legis dicitur, Et fuit die tertia, Exod.* 19. 16. *De die etiam tertia Jonæ scribitur, Fuit Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus, Jon.* 2. 17. *De die etiam tertia ascendentium è captivitate scribitur, Et castrametati sumus illic dies tres, Ezr.* 8. 15. *De die etiam tertia revivificationis mortuorum scribitur, Post dies duos revivificavit nos & tertio die resuscitabit. De die etiam tertia Estheræ scribitur, Et die tertia induit Esther regalia, Esth.* 5. 1. *Targumista addit* ביומא תליתאה דפסחא. *Induit Esther regalia die tertia Paschatis.* Erat & dies iste de quo nobis jam sermo, dies tertius Paschatis.

Si hæc notarentur de *die tertia* tunc temporis in scholis & Syna-

gogis [quod nescio quare negetur] eò nutare possunt hæc verba *Cleophæ*, ut loquentis secundum vulgarem gentis conceptum. Nam cum planum satis fuisset dixisse Τέταρτον τοῦτο ἡμέραν ἄγει σήμερον, ille autem addat Σὺν πᾶσι τούτοις, & vocem τούτῳ, videtur vis aliqua esse in isto additamento atque emphasis aliqua in isto vocabulo. Ac si hoc vellet. *Jesus* ille fuit magnus opere & verbo, & talem se præbuit, ut de eo conciperemus quod *Messias* esset, redempturus *Israelem*. Et præter hæc omnia quæ ei tali attestantur, attestatur etiam ipse hic dies: Nam cum de die tertio celeberrima sit apud nos observatio, hic est dies tertius ex quo ille est crucifixus, atque hodie dicunt quædam fœminæ apud nos, quod ab Angelis iis dictum est quod resurrexit.

Ver. 30. Λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, &c.

Mirum est quemvis intelligere posse fractionem hanc panis de Eucharistia, cum Christus statuerat apud se disparere in ipsa panis distributione, & sic cœnam interrumpere. Et quisnam probaverit quemquam ex iis gustasse quicquam? Nam finita est cœna, non jam inchoata.

Beracoth. fol. 45. 1. שלשה שאכלו וגו *Tres qui simul comedunt, tenentur ad gratias indicendum:* hoc est ut explicatur, fol. 49. 1. *Unus ex iis dicit, Benedicamus. Si vero sint tres & ipse, tum dicit Benedicite.*

Quamvis non censuerim salvatorem se astrinxisse ad communem illum morem ut diceret *Benedicamus*, ut nec ad communem formam benedictionis ante cibum, opinor tamen eum aliquam formam benedictionis adhibuisse, & non verba, *Hoc est corpus meum.*

Ver. 32. Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν;

Beza. *In uno exemplari scriptum legimus,* Κεκαλυμμένη ἦν.

Heinsius. Κεκαλυμμένη *in optimis codicibus legitur.* Quare ergo non in optimis versionibus? At favet hæc lectio ejus interpretationi, quæ huc recidit, *Nonne stulti fuimus*, quod eum non cognoverimus dum dissertaret in via.

Mallem ego interpretari ex parallelis istis, *Psal.* 39. 4. *Caluit*

cor

cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis, Hierem 20. 9. *Erat intra me ſicut ignis exæſtuans*: Senſus eſt, quod ita fervore affectum eſt cor eorum ut non potuerint ulterius ſilere, ſed in verba prorumpere. Sic & hi, nonne dum colloqueretur nobiscum in via, atque aperiret nobis ſcripturas, ita affecti ſumus, ut jam prorupturi fuerimus in ejus agnitionem, & ſalutaturi ut Dominum?

Longe petitum eſt illud in *Taanith.* fol. 20. 2. *R. Alai bar. Barachiah dicit, ſi duo diſcipuli ſapientum itinerentur ſimul, & non ſit inter eos colloquium de lege, merentur comburium: ſicut dicitur, Dum illi incederent & colloquerentur ecce currus igneus, & equi ignei, &c.* 2 Reg. 2.

Ver. 34. Λέγοντας ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος καὶ ὤφθη Σίμωνι.

I. Hæc eſſe verba אמרים undecim patet planè per caſum vocabuli Λέγοντας, Εὑρον τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς λέγοντας.

Illi qui redierunt ab *Emmaunte* invenerunt undecim & reliquos, dicentes, cum ipſi jam in conſpectum eorum venirent *Dominus reſurrexit & apparuit Simoni.*

At num hæc loquuntur inter ſe ut certa & credita? Aut an hæc dicunt duobus his Emmauntinis jam ingreſſis ut vera & indubitata? Planum eſt ex *Marco* quod undecim, reſurrectionem Chriſti non crediderint antequam ille ſeipſum in medio eorum ſiſteret, *Marc.* 16. 11, 13.

Non potuerunt ergo hæc jam dicere certò & fidenter, *Dominus reſurrexit & apparuit Simoni*, ſed cum viderent *Simonem* tam cito, & tam inopinato redeuntem, quem norunt in *Galilæam* tetendiſſe, experturum an conveniret *Jeſum*, hæc concludunt, *Oh certe Dominus reſurrexit & apparuit Simoni*, aliter ille non tam cito rediiſſet.

Quod in mentem revocat illud de nuncio mortis *Maximini* in Jul. Capitolino. *Jam primum is nuntius qui ex Aquileienſi Romam miſſus fuerat, tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarta die Romam veniret. Et forte dies ludorum erat, cum ſubito ſedente Balbino & Gordiano, theatrum nuntium ingreſſus eſt: atque antequam aliquid indicaretur, omnis populus exclamavit, Maximinus occiſus eſt, ita nuntius præventus*, &c.

Minime conceperis mundanum aliquod negotium hos duos avocare potuisse à festo ante tempus statutum, ut nec à societate condiscipulorum, sed aliquid re mundana majus. Concipe autem tecum, quanta perplexitate ac angore fluctuaret animus *Petri* ob negatum magistrum, & quali quasi œstro ille percieretur, cum audiret à fœminis, quod ab Angelo iis præceptum est ut speciatim *Petro* dicant quod Dominus resurrexit, & præcedit eos in *Galilæam* ubi eum videre liceret, *Marc.* 16. 9. Ut extra omnem mihi dubium sit *Petrum* fuisse alterum de his Emmauntinis, qui associato sibi *Alphæo* itineris comite, ut primum hæc audiret à fœminis, pergit versus *Galilæam*, noto facto absque dubio condiscipulis profectionis fine: Quem cum illi tam subito atque inexspectato redeuntem vident, conjectant inter se, certe apparuit ei Dominus, aut nos hic eum non haberemus jam reversum. Confer illud Apostoli, 1 Cor. 15. 5. Ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα, & nihil clarius dici potest in hujus rei confirmationem.

Object. Ast isti duo ab *Emmaunte* redeuntes invenerunt undecim Apostolos congregatos & considentes. Jam vero si *Simon* inter eos non fuerit, non erant undecim. Ergo ille non unus de his *Emmauntinis*.

Resp. 1. Si daretur *Petrum* fuisse & sedisse inter reliquos, non tamen fuerant exactè undecim, nam aberat *Thomas*, Johan. 20. 24. 2. Cum de undecim est sermo, non est tam de exacto numero præsentium, quam de præsenti numero Apostolorum.

Ver. 37. Ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν.

Cum distinguunt Judæi inter Angelos & Spiritus & Dæmonia, definiuntur Spiritus à R. Hoshaiah in *Bereshith rabba.* fol. 34. 2. ut sint *Ii quibus creatæ sunt animæ, at quibus non creatum est corpus.* At quærere est an omnes Spiritus vel animas sub hac notione concluserint, cum plusquam probabile sit, apparitiones defunctorum qui aliquando habuerunt corpora, sub eodem titulo iis censeri. Nec aliud conceperim ego jam conceptum fuisse à Discipulis, quam quod revera non esset Christus in propria persona, ut resuscitatus à mortuis, sed spectrum tantum, eo adhuc desuncto, in ejus forma. Et cum dicunt Pharisæi de *Paulo si vel Angelus locutus est ei vel Spiritus*, Act. 23. 9. promptius ego intellexerim quod intel-

intellexerint de apparitione alicujus Prophetæ vel Alius ſancti defuncti quam de aliqua anima cui nunquam creatum eſt corpus. Eoque magis huc inclino quod gentem ſententia de apparitionibus defunctorum ſat ſuperque imbutam fuiſſe, adeo clarum ſit ut non egeat probatione.

Ver. 44. Ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως καὶ Προφήταις καὶ Ψαλμοῖς.

Nota ſatis eſt partitio veteris Teſtamenti in אורייתא נביאים כתובים *Legem, Prophetas & Hagiographa*: abbreviate אנך.

1. Libri legis ſatis noti, eorumque ordo. Nobis vulgo *Pentateuchus*: At nonnullis Rabbinorum *Heptateuchus*, & nonnullis Chriſtianorum *Octateuchus*.

Schabb. fol. 116. 1. *Dicit R. Samuel bar. Nachman. Dicit R. Jonathan, Sapientia excidit ſeptem columnas* [Prov. 9. 1.] איכו שבעה ספרי תורה *Hi ſunt ſeptem libri legis.*

Bereſhith. rabba. fol. 71. 4. *Liber Numerorum complet ſeptem libros legis. At nonne illi ſunt quinque tantum? Verum Ben. kaphra dicit* עכיר וירבר תלתא ספרים *Liber Numerorum fit tres libri. Ab initio libri ad* ויהי בנסוע *Et fuit cum proficiſceretur arca* [cap. 10. 35.] *eſt liber per ſeipſum. Verſus iſte & ſequens eſt liber per ſeipſum. Et exinde ad finem libri, eſt liber per ſeipſum.*

Periocham iſtam, *cap.* x. 35, 36. æſtimarunt pro libello per ſeipſum, partim quod ibi diſponatur non proprio loco, partim quod in initio ejus habeat *Nun* inverſam נ in vocabulo בזכוע & ſic poſt ejus finem in voce כמתאזנים quæ ſtatuitur ut utrobique limes, ad diſtinguendum periocham iſtam à reliquo libro. Quodcunque ergo præcedit ab initio libri ad iſtam periocham, habetur iis pro libro uno, quodcunque iſtam ſequitur, pro altero, atque ipſa iſta periocha pro tertio.

Eulogius apud Photium, Cod. ccxxx. de *Doſithe* ſive *Doſitheo* loquens Samaritarum ſeductore, ſic ait. Μυείαις δὲ καὶ ποικίλαις ἄλλαις νοθείαις τὴν Μωσαϊκὴν ὀκτάτευχον κατακιβδηλεύσας, &c. *Octateuchum Moſis ſpuriis ſcriptis, & omni genere mixtis corruptelis adulteravit.*

Mentio item eſt Cod. xxxvi. de libro cujus titulus χειρογράφου βίβλου Ἐξήγησις εἰς τὴν Ὀκτάτευχον. *Chriſtianorum liber Octoteuchi*

chi expoſitio. An iſte fuerit commentarius in *Octoteuchum Moſis*, nec certum eſt, nec tanti eſt, cum & vafrum fuiſſe iſtum authorem judicet *Photius*, & duplicem Octoteuchum præter Moſaicam oſtendemus illico.

Jam vero ſi quis quærat unde *Eulogius*, idque ut videtur non ſine communi rei notitia, libros Moſaicos in Octoteuchon diviſerit, mallem alium quam meipſum in hac re *Oedipum*. Quod ſi quis conſenſerit eum *Heptateuchon* iſtam agnoviſſe quam produximus, nos ultimum caput *Deuteronomii* pro octava parte duximus.

Ridebit hoc *Aben Ezra*, qui in clanculari & larvata iſta ſua negatione de libris *Pentateuchi*, quod non ſcripti fuerint calamo *Moſis*, caput iſtud, primo loco, quantum conjicere licet, quaſi contra-teſtans, producit. Verba ejus habes in commentario ſuo ad librum *Deuteronomii* ſtatim ab initio, cap. 1. his verbis. ואם תבין כור השנים עשר ונו *Si vero intelligas myſterium* τῶν δώδεκα, &c. Id eſt duodecim commatum ultimi capitis, iſtius libri [nam ſic & contribules ſui interpretantur] *cognoſces veritatem*: *Moſen* nempe totam Pentateuchum non ſcripſiſſe. Argumentum nec reſponſione, nec quidem tanto Philoſopho dignum. Nam ſicut ridiculum eſt opinari, caput iſtud, quod de ejus morte & ſepultura agit, ab ipſo fuiſſe ſcriptum, ſic æque fere ridiculum eſſet caput iſtud, ad aliquod aliud volumen quam ad Pentateuchum rejicere. Sed hæc non ſunt præſentis ventilationis.

II. Erat etiam Octoteuchus Prophetarum.

Bava bathra fol. 14. 2. *Omnes libri Prophetarum ſunt octo: Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Eſaiæ, & duodecim.*

Nam & libri iſti Hiſtorici, ſub notione *Prophetarum* lecti ſunt in Synagogis, æquè ac ipſi Prophetæ qui nominantur. Et præfixum iis vides in Bibliis Hebræis titulum הנביאים הראשונים *Prophetæ Priores*, æque ac iſtis נביאים אחרונים *Prophetæ Poſteriores.*

Rationem ſic ordinandi tres majores Prophetas ut *Hieremias* primum locum obtineat, *Ezekiel* ſecundum, & *Eſaias* ultimum, reddunt Magiſtri loco allegato, & nos adduximus ad *Mat.* 27.9. & ne tædio ſit ſi repetamus.

Cum liber Regum termin: tur in excidio, & Jeremias totus agat de

de excidio: cum initium Ezechielis sit de excidio, & finiatur in consolatione, & cum Esaias sit totus in consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio, & consolationem cum consolatione.

III. Tertia pars Bibliorum inscribitur כתובים *Hagiographa*, atque hic etiam invenitur Octoteuchus à nonnemine quantum videtur, at non novimus nos, ubi inveniamus.

Gregent. Dialog. statim ab initio. *Herbanus Judæus*, inquit ille ὢν ἄκρα πεπαιδεύμενος τόν τε νόμον καὶ τὰς τῶν προφητῶν θείας δέλτους τήν τε Ὀκτάτευχον, καὶ τὰ περίλοιπα. *Vir certè erat apprimè doctus, legem intelligens, & sacros Prophetarum libros, & Octateuchum & reliqua scripta.*

Octateuchus distincta à lege & Prophetis quænam sit, non facile dictu ut nec quænam sint illa τὰ περίλοιπα. Videtur certe hæc Octateuchus ad נתובים vel *Hagiographa* referri [nam probabile est eum de peritia Judæi in scripturis loquentem, de partitione Bibliorum etiam secundum Judæos loqui] At quis elegerit octo libros qui eam constituant. Elige tu octo, & tum dixerim ego quod quatuor reliqui sunt τὰ περίλοιπα. Sed de hac re nos non nosmet torquebimus.

Quæri potest quare hi libri dicti sunt נתובים *Scripturæ*, cum tota Biblia dicta fuerint כתבי קדש *Scripturæ sacræ*: nec quid magis in promptu est quod respondeatur, quam quod per hunc titulum reservare iis vellent dignitatem suam. Non legerunt quidem eos in Synagogis, sed ut divinæ & sacrosanctæ authoritatis esse eos agnoscerent שונין בהן ודורשין בהן *ex iis firmant traditiones, atque eos mysticé exponunt*, *Schabb.* fol. 116. 2. atque eundem titulum cum reliqua Scriptura iis tribuunt.

Bathra. ubi supr. *Hic est ordo* כתובים *librorum Hagiographorum Ruth, Liber Psalmorum, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Threni, Daniel, Liber Estheræ, Ezra & Chronica.*

Disputatur ibi: Si dicas *Jobum* fuisse in diebus *Mosis*, tum quare liber ejus non collocatur primus? Respondent מפורענותא לא מתחלינן *Non incipiunt à vindicta*, aut afflictione, qualis erat ista Jobi. Replicant רות נמי פורענות *Ruth etiam incipit ab afflictione*: ab historia sclil. famis, & mortis filiorum Elimelechi. *Ast erat*, inquiunt, *ista* פורענות דאית ליה אהדית *Afflictio*,

tio, quæ habuit lætum finem. Sic etiam dixeris de libro & afflictione *Jobi.* Disputatur ut vides illic, quare liber *Ruth* ordinetur primus in ista classe & non liber *Job*: At nos disputare habemus an liber *Psalmorum* potius non sit habendus primus quam liber *Ruth.*

IV. In verbis certe quæ tractamus, quis aliud suspicetur, quam quod salvator alludit ad vulgarem istam & notissimam Bibliorum divisionem: & quamvis *Psalmos* tantum nominet, totum istud volumen sub eo titulo tamen includit. Nam dicas necesse est, aut eum omnes libros istius tertiæ divisionis, exceptis Psalmis, exclusisse quod non probabile: aut omnes eos sub nomine *Prophetarum* inclusisse, quod præter morem, si sub titulo *Psalmorum* omnes non comprehenderit. Quod non excluserit, ipsa dictabit ratio. Nam in plurimis istius partitionis libris, de ipso scriptum est æquè ac in Psalmis: & quod non incluserit intra titulum *Prophetarum* dictabit etiam ratio, quia tunc loqueretur præter & contra vulgarem sententiam & receptionem gentis.

Minimè ergo dubitamus Apostolos illum intellexisse ut loquentem cum vulgo: & per *Psalmos* intellexisse omnes libros istius voluminis, illos præcipue in quibus erat aliquid de se scriptum. Nam detur libellum *Ruth* quoad tempus historiæ, & quoad tempus conscriptionis, primum locum sibi vendicare potuisse, & de ista prioritate potissimùm agunt Gemaristæ, inter omnes tamen, qui aliquid de Christo loquuntur, primum locum merito obtinet *Liber Psalmorum.* Ut hoc nominato, reliqui etiam subintelligantur. Sic *Matthæus*, cap. 27. 9. Sub nomine *Hieremiæ*, comprehendit totum volumen Prophetarum, quippe quod *Hieremias* fuerit primus in isto volumine: quod observavimus ad istum locum.

Ver. 45. Τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν.

Cum per manus Apostolorum impositas dicitur donari linguas & Prophetiam [*loquebantur linguis & Prophetabant*, Act. 19. 6.] per *Prophetiam* nihil aliud, vel nihil æquè intelligi videtur ac hoc ipsum, quod apertæ sunt mentes eorum ut intelligerent scripturas: & forsan *Loquebantur linguis*, huc refert etiam, primâ notione, quod intelligerent linguam scripturæ originalem.

Ver.

Ver. 50. Ἕως εἰς Βηθανίαν.

Quotnam hic emergunt ſcrupuli!

I. Dicit hic noſter, quod cum redirent Diſcipuli à loco aſcenſionis Chriſti, *Redierunt à monte Oliveto diſtante Hieroſolymis itinere Sabbatico*, Act. 1. 12. Jam vero diſtitit *Bethania* oppidum, Hieroſolymis quindecim ſtadiis, *Johan.* 11. 18. id eſt itinere Sabbatico duplicato.

II. Dicit *Joſephus* Olivetum diſtitiſſe ab urbe quinque tantum ſtadiis, cum iter Sabbaticum conſtaret ex ſeptem & dimidio.

Antiq. lib. 20. cap. 6. *Venit eo tempore Hieroſolymam Ægyptius quidam, Prophetam ſe eſſe dicens, & ſuadens populo ut ſecum ad montem Olivetum eant.* Ὁ καὶ τῆς πόλεως ἄντικρυς κείμενον ἀπέχει στάδια πέντε· *qui ante urbem ſitus, diſtat ſtadiis quinque.*

Vera ſunt hæc omnia. 1. Diſtitiſſe *Olivetum* ab urbe quinq; tantum ſtadiis. 2. Diſtitiſſe oppidum *Bethaniam* ab urbe ſtadiis quindecim. 3. Eduxiſſe Chriſtum diſcipulos uſque ad *Bethaniam.* 4. Redeuntes eos ab *Oliveto* emenſuraſſe plus quam quinque ſtadia. 5. Redeuntes eos à *Bethania,* emenſuraſſe iter tantum Sabbaticum.

Quæ omnia benè & facilimè conciliantur, ſi obſervetur.

Quod primum ſpatium ab urbe verſus hunc montem vocaretur *Bethphage:* quod clarum fecimus alibi ex Talmudicis, ſuffragantibus etiam Evangeliſtis: quod pars montis eo nomine inſigniretur per ſpatium itineris Sabbatici aut circiter donec tandem contingeret partem iſtam quæ vocatur *Bethania.* Nam erat *Bethania* tractus montis & *Bethania* oppidum: Diſtabat oppidum ab urbe quindecim ſtadiis aut circiter, id eſt, milliaribus duobus aut itinere Sabbatico duplicato. At prima fimbria tractus qui vocabatur *Bethania,* diſtabat milliari aut itinere Sabbatico tantum uno.

Eduxit ergo Chriſtus diſcipulos, cum jam eſſet aſcenſurus ad primum marginem regionis, vel tractus Oliveti, qui vocabatur *Bethania,* diſtantem ab urbe itinere Sabbatico. Eouſque ab ipſa urbe extenſus fuit tractus qui vocabatur *Bethphage*: atque ubi perventum ab eo, eſt ad locum iſtum ubi ſe mutuo contingebant limites *Bethphages* & *Bethaniæ,* aſcendit: ipſiſſimo iſto loco quo aſinum aſcendit cum equitaret in Hieroſolymam, *Marc.* xi. 1. Cum

ergo dicat *Josephus*, Olivetum distitisse ab urbe quinque stadiis, de primo margine montis loquitur, at noster, de loco ubi Christus ascendit, ubi incepit nomen Oliveti, ut distinctum à *Bethphage*.

Quoniam tam frequens nobis mentio de itinere Sabbatico & cum non sit à re præsenti alienum, aliquid de eo observare, liceat hæc pauca adducere.

I. Spatium תחום שבת limitis Sabbati erat bis mille cubitorum.

Targ. in Ruth. cap, 1. 16. *Dixit Naomi ad Ruth, Jubemur observare Sabbata & dies festos.* ברייל רלא לאהלכא בר מתרין. *ad non eundum ultra bis mille cubitos.* אלפין אמין

Maimon. Schabb. cap. 27. *Statuitur à Scribis, Ne prodeat homo ex urbe ultra bis mille cubitos.* Hujus rei testimonia infinita. At disputatur quonam fundamento niteretur hoc statutum.

Hieros. Erubbin. fol. 21. 4. מניין אלפיים אמה *Unde statuitur de bis mille cubitis? Ex hoc, Ne exeat quis ex loco suo die septimo, Exod.* 16. 29.

Bab. Erubbim. fol. 51. 1. *His bis mille cubiti ubinam scribuntur? Hinc traduntur.* שבו איש תחתיו *Maneat unusquisque apud seipsum. Exod.* 16. 29. *Hi sunt quatuor cubiti. Ne exeat quis ex loco suo. Hi sunt bis mille cubiti.*

Credas ex his scripturis, non elici posse cubitum quidem unum, multo minus bis mille: Sed artem disce fabricandi quidlibet ex quolibet.

Asai ben Akiba dicit, ex hoc deducuntur quod dicitur מקום מקום *Locus locus. Dicitur hic Locus* [ne exeat quis ex loco suo] *Et dicitur alibi statuam tibi locum*, Exod. 21. 13. *Sicut locus qui dicitur alibi, est bis mille cubitorum, ita locus de quo dicitur hic est bis mille cubitorum.*

Ast unde probatur, locum de quo dicitur alibi, esse bis mille cubitorum?

Maccoth. fol. 12. 2. & Zevachin. fol. 117. 1. *Statuam tibi locum quo fugiat ille qui occidit hominem inscius. Hoc docet quod Israelita in eremo* [qui sic occiderant quemquam] *migrarunt ad locum refugii. Et quonam migrarunt? Ad castra Levitarum.*

Jam ergo cum castra Israelitarum in eremo distarent bis mille cubitis à tabernaculo, & castris Levitarum illud circumvallantibus, quod colligunt ex *Josu.* 3. 4. Cum liceret Sabbato, à castris sic distantibus adire Tabernaculum, inde hæc argumentatio pro bis mille cubitis, quam jam tractamus.

Obiter

Obiter hoc moneamus de *quatuor cubitis*, quos eliciunt ex verbis istis, *Maneat unusquisque apud seipsum*: quod hoc sic intelligendum. Quum quis vel per ignorantiam, vel casu aliquo, transgressus fuerit limites sabbati, & tandem sciverit transgressionem, coarctatus fuit ad quatuor cubitos, ut ultra eos non moveret donec Sabbatum esset elapsum.

Fundamentum pro bis mille cubitis etiam hoc adducunt.

Sotah. fol. 27. 2. *Et mensurabitis ab extra civitatem ab angulo Orientali bis mille cubitos*, &c. Numb. 35. 5. *At scriptura alia dicit, A muro civitatis & extra mensurabitis mille cubitos*, ver. 4. --- *Mille cubiti sunt suburbana civitatis: Et bis mille cubiti sunt limites Sabbatici.*

Quonam modo emensuraverint hos bis mille cubitos ab unaquaque urbe, & quibus funiculis, fuse agit *Maimon Schabb.* 28. atque *Erubbin*, cap. 8. quod parum ad rem nostram facit. Hoc solum adjiciamus, Quod si quis à nocte deprehensus fuerit in itinerationе sua in agris, aut eremo, ingrediente jam Sabbato atque ille non novit exacte spatium bis mille cubitorum, ambulare illi licuit אלפיים פסיעות בינוניות *bis mille ordinarios passus* וזו תחזם שבת *Atqui hi æstimabantur pro limite Sabbatico*, *Erubbin.* fol. 42. 1.

Tantum distabat ab urbe locus iste Oliveti ubi salvator ascendit, ibi scilicet ubi desiit *Bethphage*, atque incepit *Bethania*. Ipse forsan locus de quo mentio, 2 *Sam.* 15. 32. aut certe non multum distans, ubi *David* in fuga sua, arcæ & sanctuario jam valedicens, eò ut videtur, respicit & adorat Dominum. Ubi quis enucleabit rationem quare Græci interpretes vocabulum Πρὼς retineant, & illic & cap. 16. 1. Καὶ ἰδοὺ Δαβὶδ ἐρχόμενος ἕως τῆς πρώς. Et Καὶ Δαβὶδ παρῆλθε βραχύ πι ἀπὸ τῆς πρώς. Latet aliquid non facilis enodationis. Talmudici volunt esse locum Idololatriæ sed ratione longissime petita in *Sanhedr.* f. 107. 1. at Judaici commentatores cum majori aliquali probabilitate, quod esset locus, à quo *David* quandocunque tenderet versus *Hierosolymam*, locum prospiciens ubi situm erat tabernaculum, solitus est Deum adorare.

PAg. 115. lin. 26. post verba ista, *secundum numerum annorum Aaronis*, &c. Adde, Adjiciantur coronidis loco ista in *Sanhedr.* fol. 101. 1. אם בעלי מקרא הן *Si illi sint magistri lectionis textualis, versabuntur, in lege, Prophetis & Hagiographis.* אם בעלי משנה הן *Si magistri sint doctrinæ Misnicæ, versabuntur in Misnah Halacoth & Haggadoth* ואם בעלי תלמוד הן. *Et si magistri Talmudis sint, versabuntur in traditionibus Paschatis in Paschate: In traditionibus Pentecostes in Pentecoste: In traditionibus Scenopegiæ in Scenopegia.*

Errata sic corrige.

PAg. 3 lin. 33 *Gamalam*, p. 5. l. 22. *Karnaiah*, l. 35. *vulg.* p. 7. l. 12. *Cæsaream*, p. 8. l. 3. גבול חורן, p 9. l 31. *Ineaies*, p. 10. l. 37. *Hitture* p. 12. l. 26, ותקחם, p. 14. l. 4. *Sect.* 1, p. 19. l 31. *Biddulphus*, l. 32. ast, p. 20. l. 1. *Targumista*, p. 22. l. 17. ועד, p. 31. l. 31. שבת של פסח p. 35 l. 4. חוקים, p. 39. l. 28. נסך, p. 41. l. 15. *dicatur*, p. 43. l. 20. חרש, p. 48. l. 17. *expectavit*. p. 50. l. 14. מיוחס, p 55. l. 1. ונכנסות, p. 59. l. 17. בנחמה, p 61. l. 9. *leniter*, l. 12. *comesum*, p. 64. l. 30. רם, p. 65. l 16. ספסלים, p 69 l. 4. *pro re religiosa*. p 72. l. 15 בת, p. 74. l. 25. *Quorum omnium*, p. 76 l. 9. *Dicit illi*, p. 78. l. 6. *Si modo*, p 81. l. 7. *dolatas*, l. 16. מחמשת p 85. l. 22 מניחו, p. 86. l. 20. אסיא, p. 91. l. 20. טרחינן, p. 95. l. 6. בבית, p. 96. l. 6. מחוקות, p. 99 l. 2. במטתי p. 104. 105, 106, 107. *Cap. IX.* p 104. l. 5 *Zarah*, p. 106. l. 8. *allegorizare*, p. 116. l 25. נפ שך, p. 117, l 8. מאדך, l 9. לן הוי מורה לו מאד מאד, l. 23. *verba*, l. 28. *Cæsaream*, p. 121. l 28. *comedat*, p. 125. l. 16. *ut urgeat*, p. 127. l. 30. אשמודאי, p 128. l. 11. שחטא, p. 137. l. 18. *erga*. p 140. l. 17. *chagigah*, p. 144. l 13. *Sic*. p. 154. l. 1. *singulari modo*. p. 156. l. 23 *ille qui audit*, p 166. l. 19. *Jul.* p. 173. l. 33 *quidam*, p. 200. l. 8. *capessat*, p. 215. l. 14. *obumbrat*, p. 215. l. 12. *Illic*.

FINIS.